THEOLOGICÆ INSTITUTIONES

CUM

RECTA NATURALI RATIONE

UT PLURIMUM CONSOCIATAE

OPERA ET STUDIO

A. R. P. CHERUBINI A PALMA

INTER

MIN. OBSER. PROV. NEAPOLIS

LECTORIS JUBILATI.

TOMUS QUARTUS.

LIB. V. ET VI.



NEAPOLI

EX TIPOGRAPHIA CAJETANI REALE

1842.

INSTITUTIONES THEOLOGICARUM.

LIBER QUINTUS

DE DEO CREATORE

1. Expensis breviter in superiori libro Dei operationibus *ad intra*, ex quibus habetur Trinitas Personarum in Unitate Naturae Divinae, gradum faciamus oportet ad ipsius Dei operationes *ad extra*. Itaque maxima brevitate agentes in tres partes hunc librum de Deo Creatore distribuimus. In priori sermo erit de Deo Creatore generatim: in altera de Creatione hominis: in postrema de creatione Angelorum.

PARS PRIMA

DE CREATIONE IN GENERE.

2. Quatuor in hac priori parte praestare conabimur. Primo vindicabimus, mundum fuisse a Deo creatum: Secundo refellemus errorem illorum, qui materiam aeternam dixerunt. Tertio inquiremus, qua anni tempe-

state videtur probabilius mundum fuisse creatum. Tandem breviter dicemus de sex diebus creationis.

CAPUT I.

De Mundi Creatione.

3. Varii fuerunt philosophorum errores circa mundi originem. Alii dixerunt aeternum, et increatum. Alii existimaverunt quidem a Deo creatum, sed ab aeterno, non vero in tempore. Et alii posuerunt in tempore quidem excitatum, verum non ex nihilo, sed ex tumultuario motu materiae praeexistentis ab aeterno. In hoc errore fuerunt Epicurei, et multi nostri temporis Atheistae. Nos autem cum orthodoxa fide tenemus, et propugnamus, mundum a Deo, et in tempore fuisse creatum. Et propterea sit

PROPOSITIO I.

Mundus non est aeternus, sed in tempore creatus.

4. *Prob.* Quod est aeternum, rationem suae existentiae in seipso habere debet: etenim si haberet in alio, ab alio suam repeteret existentiam, id quod manifeste contradicit cum aeternitate. Illud enim supponit aliquando non fuisse, sed coepisse esse: et aeternitas dicit semper fuisse, et fuisse eodem semper modo, sine ulla mutatione, quia aeternitas *est interminabilis vitae tota simul, et perfecta possessio.* Sed quod rationem suae existentiae in se habet, omnino immutabile esse debet.

Et quidem, quod rationem suae existentiae in se habet, in se quoque rationem habet suae essentiae. Sed ex essentia, et existentia sunt omnia, quae in subjecto sunt, nec possunt esse aliter, quia secus non essent ex essentia, quod repugnat. Ergo quod in se rationem suae existentiae habet, semper est id, quod est, scilicet nullimode mutari potest. Sed mundus perennibus mutationibus est obnoxius, nec per instans in eodem statu permanet. Ergo aeternus non est; sed in tempore coepit esse: et eo vel magis, quod tempus consistit in successione, ita ut posita successione ponatur tempus, et illa ablata, idea temporis destruatur, et propterea exclusa aeternitate, necessario habetur tempus.

Rejicitur responsio Atheistarum.

5. Ineptissime prorsus Atheistae solent respondere, mundum quoad se totum esse immutabilem, sed non ita quoad partes, et exteriorem accidentalem modificationem. Sed quomodo immutabile quoad totum, quoad mutabile est quoad partes? Numquid totum sequi non debet naturam partium? Sed quaero: accidentales exteriores mundi modificationes sunt ne ab aliquo interiore, et consequenter essentiali sui principio, an vero ab exteriore? Si illud: ergo tota redit nostra ratio, quod scilicet mundus est essentialiter mutabilis, et propterea in se non habet rationem sufficientem suae existentiae, quoniam nequeunt mutari effectus, quin mutetur et causa. Si alterum: ergo mundus in suis operationibus pendet ab aliqua exteriore causa. Sed quomodo habet a se quid-

quid habet, si in eo, quod habet, pendet ab alio? Profecto qui est a se, a se habet vim agendi, et a nullo pendere potest in agendo, et modo agendi.

PROPOSITIO II.

Mundus, qui aeternus non est, a Deo ex nihilo fuit conditus.

6. *Prob.* Mundus, qui aeternus non est (*Prop. ant.*), vel coepit esse ex nihilo, vel sibi ipse dedit existentiam, vel ex nihilo a Deo fuit conditus. Non primum, alioquin nihilum ageret, esset causa rei substantialis et existentis, et daret, quod non habet, scilicet idem simul esset et non esset, quod intrinsecus pugnat. Non ipse sibi dedit existentiam, quia secus operatus fuisset antequam existeret, quod idem est, ac esse simul, et non esse. Ergo superest, ut conditus sit ab alio, hoc est a Deo. Idipsum confirmatur ex ordine, et pulchritudine, quibus concinnatus est mundus. Sed veritas ista ad evidentiam demonstratur in Metaphysica.

Afferuntur momenta Atheorum.

7. I. Atheistae dicunt, mundum fuisse efformatum ex concursu athomorum ab aeterno existentium. Sed quid magis ineptum, quam somnium istud nullo principio suffultum, poterit umquam excogitari? Procul dubio athomi istae mutationibus erant obnoxiae, secus enim sibi tumultuarie occurrere non poterant. Ergo non

erant aeternae (§. 4). Ergo ex nihilo creatae fuerunt (§ *praec.*) Ergo, si verum est , quod *causa causae est etiam causa causati* , Deus per Atheos ipsos est mundi creator.

8. II. dicunt increduli. Si mundus revera ex nihilo fuisset excitatus , utique constaret de illius exordio , et quot anni inde fluxerint ad nostram usque aetatem. Sed id non constat. Etenim alia prorsus est annorum supputatio apud Chaldaeos , alia apud Ægyptios, alia apud Sinenses , alia apud Hebraeos , et alia apud Graecos. Ergo dicendum , quod fabulosa prorsus est mundi creatio a Deo , et quidem in tempore.

℞. Argumentis Metaphysicis nos demonstramus Mundi creationem a Deo , et in tempore , et confirmamus argumentis physicis : iisdem ergo increduli et nostra argumenta , et suam oppositam sententiam demonstrare debent. Quid ergo concludere poterunt ex historia? Quamvis ergo concedamus , nihil constare de tempore , quo mundus coepit esse , perridiculum tamen prorsus esset concludere , quod suum initium non habuit , contra quod evidentissime concludunt argumenta metaphysica. Et requidem vera : quis risu se continere posset , si audiret dici , Romam non fuisse conditam ex quo non convenit inter Historicos de tempore , quo fuit condita ?

9. III. Sic fortiter nos urgent increduli. Creatio Mundi a Deo , et quidem in tempore , prorsus repugnat. Ergo admittenda non est. Et quidem essentialis Dei character est , ut sit infinitus , et immutabilis, ex quo asseritur purissimus actus , quia in actu ipsi sunt omnia. Sed quomodo character iste stare poterit cum mundi crea-

tione in tempore? Nunquid tota anteriore aeternitate otiosus fuit Deus, et postea coepit operari? Quis bifariam divisam concipiet aeternitatem? Quis dicet mediam effluxisse aeternitatem, cum a Deo mundus creatus fuit? Sed dicatur tamen. Ergo saltem necessario opus est confiteri, Deum fuisse mutatum, id quod repugnat. Quod si nimis absurda haec videntur, saltem in systemate de mundi creatione necessario hujusmodi creatio asserenda est ab aeterno, ex quo scilicet est Deus. Et id quidem ex aliqua parte quadrat. Etenim aeternus est Deus, et quidem semper in actu. Sed mundus a Deo creatus est, sive melius, a Deo creatur. Ergo mundus creatus est ab aeterno, sive ex quo existit Deus. Et propterea saltem in hoc falsa est thesis.

℟. Fatemur quidem, quod vis allati argumenti magna semper visa est. Sed ejusmodi tamen non est, ut penitus dissipari non possit. Non aliud enim ex ipso concludi fas est, si res bene perpendatur, nisi imbecillitas nostrae mentis, cui datum non est, nec dari potest, ullo modo directe concipere ideam aeternitatis. Itaque ad rem. Ex existentia rerum contingentium evidentissime demonstratur existere Ens Necessarium, in se sui rationem sufficientem habens, aeternum, infinitum, perfectissimum, et propterea omnino immutabile, et cui omnia sunt in actu, et quod proinde nec praeteritum, nec futurum cognoscit, et nullo modo tempori est subjectum. Ergo ens istud, quod Deum apellamus, temporis incapax, solam agnoscit aeternitatem, quam definimus per *interminabilis vitae totam simul, et perfectam possessionem*. Certe de hac veritate nullimode possumus dubitare.

Contra, cum res cunctae, quae mundum constituunt, sint finitae, ipsae in se rationem non habent suae existentiae, et necessario perennibus mutationibus sunt obnoxiae. Sed in mutationibus, et successionibus consistit tempus. Ergo res cunctae, ex quibus coalescit mundus, essentialiter sunt in tempore, et omnino illis repugnat aeternitas, quae adeo tempori contradicit, ut dicere tempus ab aeternitate, idem sit ac dicere vera contradictoria, scilicet successionem, et non successionem. Ergo dubitare non possumus, quin Mundus non sit in tempore ex nihilo a Deo creatus (§ 4, et 6). Et quidem, si ab alio, scilicet a Deo, ipse est, quomodo semper fuit? Procul dubio a non esse transiit ad esse. Ergo ex parte Mundi repugnat, ut fuerit ab aeternitate, ut fuerit semper, tum quia aeternitas non habet principium, cum quia contradicit tempori. Ergo mundus respectu Dei est aeternus, et respectu sui coepit esse in tempore.

Sed quomodo ista, dicunt Adversarii, simul componi possunt? Nonne pugnat asserere de eodem subjecto Mundo, quod semper fuit ab aeterno respectu Dei, et non fuit semper respectu sui? Quodnam ergo ex tribus repugnantibus seligemus?

Ad haec respondemus, quod si ingenui esse velimus, hoc tertium non est manifeste repugnans, sed solum inconcipibile ab humana mente, quoniam repugnat, ut positivam ideam aeternitatis efformemus. Et quidem ad manifestam contradictionem non sufficit, ut idem affirmetur, et negetur de eodem subjecto, sed maxime requiritur, ut sit sub eodem respectu. Sed in re nostra aeternitas asseritur de mundo respectu Dei, cui omnia

sunt in actu, et aeterna, ac repugnat successio, sive tempus; et negatur respectu sui ipsius, cui contra repugnat, ut semper fuerit; quia creatus est, et necessario, ut finitus, est in perenni successione, sive tempore. Ergo non est manifesta contradictio asserere, et negare mundo aeternitatem. Ergo solum fas est dicere, quod nequit id a nobis concipi. Et hoc non solum libenter damus, quinimo contendimus, quod repugnat quoque, ut concipiamus. Etenim ad id concipiendum requiritur, ut sicut tempus, ita quoque clare, et positive cognoscamus aeternitatem. Sed id absolute repugnat, quia aeternitas excludit successionem, et tempus; et homo, quia essentialiter finitus, necessario successionibus, et tempori est subjectus. Ergo absolute repugnat, ut positive concipiamus ideam aeternitatis. Et propterea concludendum, quod mundus est aeternus respectu Dei, et in tempore ex parte sui, quia secus manifesta haberetur contradictio. Verum id non potest a nobis concipi ob imbecillitatem nostrae mentis, quoniam nullatenus fieri potest, ut positivam ideam aeternitatis concipiamus.

CAPUT II.

Refellitur Materiae aeternitas.

10. Materiam aeternam esse, ex qua in tempore efformatus sit mundus hic aspectabilis, sententia fuit vetustiorum Philosophorum, quam in Cosmologia refutavimus. Sed quoniam eadem renovarunt nonnulli etiam ex Christiano nomine, praesertim Hermogenes, qui II.

Ecclesiae Sacculo docuit, Deum non ex nihilo condidisse mundum, sed ex praeexistente materia; idcirco contra Haeresiarcam istum, et caeteros Atheos eumdem errorem sectantes, sit

PROPOSITIO III.

Dicere materiam aeternam Poetarum commentum est.

11. *Prob.* Dicere materiam aeternam rectae opponitur rationi, et apertis Sacrae Scripturae locis adversatur. Ergo si neque Philosophorum, neque Theologorum digna doctrina est, dicendum, quod sit commentum effervescentis phantasiae Poetarum. *Prob. ant. quoad primam partem.* Materia ex adversariis ipsis ab aeterno semper fuit in motu. Ergo mutationibus semper obnoxia fuit, secus enim ex illa mundus coalescere non potuisset. Sed quod mutationibus est obnoxium, aeternum esse non potest (§. *4*.). Ergo materiae aeternitas rectae opponitur rationi. Sed adde. Si ex materia aeterna in tempore efformatus est mundus, ut dicunt poetae Atheistae, profecto in mundi efformatione transacta fuit media pars aeternitatis, et quidem respectu ejusdem materiae procul dubio entis finiti. Ergo aeternitas, quae limitibus caret, et est infinita, in partes divisa fuit. Quaero itaque, pars illa quae mundum praecessit, fuit ne finita, an vero infinita? Non istud, quia terminum habuit in efformatione mundi, et infinitum nequit terminum agnoscere; et item, quia secus pars erit aequalis

toto, quia infinito nequit dari majus. Non illud, quia secus duae partes finitae efformarent infinitum, quod repugnat. Ergo dicendum, quod antiphilosophica omnino est sententia de materiae aeternitate.

12. Sed et apertis Scripturae locis opponitur. Etenim Genesis cap. I. habemus *In principio creavit Deus Coelum, et terram*. Procul dubio verba ista intelligenda sunt de materia: primo, quia aliam materiam asserere, praeter coelum, et terram, quae constituunt universum, somnium est aegrotantium. II, quia si alia esset materia, nulla ratio assignari potest, cur ex illa non potius Deus efformasset coelum, et terram, sed voluerit ex nihilo excitare. III, quia somniantes adversarii ex aeterna praeexistente materia dicunt mundum efformatum. Ergo contradictione laborat sententia Hermogenis asserentis materiae aeternitatem. Item lib. II. Machabaeorum cap. VII. v. 28. ita Mater ultimo suo filio loquitur. *Peto, nate, ut aspicias ad coelum, et terram, et ad omnia, quae in eis sunt: et intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus, et hominum genus.* Si ergo omnia ex nihilo facta sunt, quomodo materia aeterna, et idcirco increata? Dicendum itaque, quod aeternitas materiae rationi opponitur, et apertis Sacrae Scripturae testimoniis. Quod si propterea nec Philosophorum, nec Theologorum digna doctrina dici potest, restat ut sit purum figmentum Poetarum.

CAPUT III.

De anni tempestate, qua mundus creatus est.

13. Quam vanum, quam superfluum sit quaerere, qua anni tempestate creatus sit mundus, quisque ex se novit. Cui enim Ecclesiae utilitati id esse potest? Contra, nullus error, nulla haeresis fuit unquam in hoc negoцo. Sed et unde argumenta vera, et valida attingere poterimus ad hujusmodi historicam notitiam, non dicam certo, sed probabiliter determinandam? Sacra Scriptura silet, silet et traditio. Nec in subsidium invocari potest humana ratio, et eo vel magis, quod nescimus, in quo terrae loco praecise creatus sit homo, ut saltem ex illius majori commodo magis apta anni tempestas, quae pro variis locis, varia est, aliqua probabilitate suspicari possit. Vana igitur, et superflua omnino est hujusmodi inquisitio. Sed tamen quia multi, et magni nominis Theologi hanc ventilarunt quaestionem, illorum sententias non piget exponere. Sed prius sit.

Schema mensium apud Hebraeos.

VER	ÆSTAS	AUTUMNUS	HIEMS
1. Nisan.	4. Tamutz.	7. Tisri.	10. Tibeth.
2. Jair.	5. Ab.	8. Hesuar.	11. Sebath.
3. Sivan.	6. Hillul.	9. Casleu.	12. Adar.

14. Duae sunt celebriores sententiae de tempore, quo creatus est mundus. Prior est Scaligeri, Petavii,

Natalis Alexandri, aliorumque opinantium, mundum conditum fuisse autumni tempore. Altera est Vossii, Laurentii Berti, et caeterorum ferme omnium, qui contendunt, verno tempore fuisse creatum.

15. Qui pro priori sententia pugnant, afferunt illud Exodi cap. XII. v. 1. *Dixit quoque Dominus ad Moysen, et Aaron in terra Ægypti. Mensis iste* (Nisan) *vobis principium mensium: primus erit in mensibus anni.* Ergo, dicunt, si novum initium anni per Moysen Deus praecepit, dubio procul non a mense Nisan, sed ab alio, et quidem a mense Tisri, prius supputabatur. Ergo probabilius est, autumni tempore mundum fuisse creatum. II. dicunt. Ex Genesis cap. VII. diluvium coepit mense secundo. Sed fluviis, et inundationibus aptius est tempus Hiemis, quam Veris. Ergo dicendum, mundi principium fuisse ab Autumno, ut sic secundus mensis fuisset quasi in Hieme. III. v. 6. dicit Petavius. Moyses exodi XXIII. festum Tabernaculorum ex Dei praecepto indicit. *In exitu anni, quando congregaveris omnes fruges tuas de agro.* Sed tempus istud est autumnale, non vernum. Ergo in autumno mundus fuit conditus.

16. Sed ad ista sic respondent, qui alteram sententiam tuentur. Et quidem ad primum dicunt, non novum supputationis ordinem Deum per Moysen praecepisse, sed potius ut antiquum per diuturnam moram in Ægypto immutatum renovarent. Ergo non a mense Tisri, sed a Nisan, anni exordium sumendum est.

Ad alterum respondent, quod non ex causis naturalibus repetendum est diluvium, sed ex ira Dei, quae

tunc magis ostenditur, cum minus in effectum influere possunt causae naturales. Tandem ad Petavium respondent, duplicem annum distinqui apud antiquos, Hebraeos, proprium et verum, qui incipiebat a Mense Nisan; et georgicum et civilem, qui initium sumebat a tempore sationis, et messis. Hoc utebantur in contractibus, illo vero pro exordio omnium mensium, et consequenter mundi. Et confirmatur ex quo cum cap. XII. v. 2. Exodi ex jussu Dei Moyses signasset anni exordium ex mense Nisan, Josephus Hebraeus lib. 1. Antiquitatum judaicarum scribit, Nisan statutum fuisse veluti primum mensem pro iis, quae ad rem Divinam pertinebant, et nihil fuisse innovatum quoad nundinationes rerum venalium.

CAPUT IV.

De diebus Creationis.

17. Sex dies, quibus mundus in suis partibus a Deo creatus dicitur in Genesi, non in sensu literali, sed figurato, accipiendos esse, primo docuit Philo Judaeus. Iste, praesertim de Mundi opificio, dicit, omnia simul a Deo fuisse creata. *Rusticanae enim* (inquit) *simplicitatis est, putare sex diebus mundum esse conditum.* Hoc ipsum docuit Origenes lib. VI. contra Celsum. Doctor autem Augustinus lib. I. cap. XV., et lib. IV. cap. VIII. de Gen., nec non lib. XI. de Civ. cap. IX., omnia in istanti a Deo creata fuisse opinatur, sed mystice interpretatur sex dies per totidem

Angelorum congnitiones respondentes operationibus, quae in Genesi describuntur. Et quoniam quilibet dies in sacro Textu constare dicitur mane, et vespere, inde Augustinus deducit, duplicem esse in Angelis cognitionem, matutinam, qua res cunctas vident in Verbo, et vespertinam, qua illas cognoscunt in propria natura.

18. Antequam nostram exponamus opinionem, sedulo animadvertendum, quod duplici modo considerari potest mundi creatio, scilicet ex parte Dei, et ex parte mundi. Cum illam consideramus ex parte Dei, nemo, qui rectam ideam habet de Ente necessario, aeterno, infinito, et immutabili dubitare ullo modo poterit, quin omnia in istanti simul creata fuerint, quinimmo et semper in actu creantur; etenim necessario omnino tempus pugnat cum aeternitate, et esse infinito, et immutabili. Consulantur propterea, quae supra dicta sunt, praesertim in responsione ad argumentum §. 9. Quoad vero mundum ipsum, quoniam essentialiter finitus est, quia creatus, et contingens, essentialiter quoque ipsi convenit mutatio, et idcirco tempus. Inde sequitur, ut simul in omnibus suis partibus totus in tempore habere potuerit existentiam, aut successive creari potuerit per partes. Vera igitur sententia Philonis et Origenis si intelligatur ex parte Dei: et quoad mundum ipsum, videndum, utrum litterali, aut figurato sensu accipiendi sint dies, qui in Genesi numerantur. Et idem quasi dicendum de ingeniosa expositione Doctoris Augustini.

19. Si quod sentio audire cupitis, studiosissimi Juvenes, ingenue fateor, quod nimis durus videtur lite-

ralis sensus sex dierum quibus in Genesi mundus dicitur creatus. Prae multis rationibus, quae meam exagitant mentem, illa praecipua videtur, quod cum vidisset Deus, lucem esse bonam, divisit lucem a tenebris. Quippe hic pro certo ponitur, prius lucem mixtam fuisse cum tenebris, et Deum ab illis divisisse. Quid ista? Num tenebrae sunt quid positivum? Nonne ipsae sunt mera negatio lucis? Quomodo ergo mixtae cum luce? Quomodo a luce separatae fuerunt? Nimis ergo durus videtur literalis sensus. Sed tamen quia nullum absurdum contra fidem ex illo sequitur, et quia nullum figuratum sensum, quem ratio, aut pietas, exposceret et approbaret. Patres excogitarunt; idcirco, ne temerarie nimis proponam ego, communem sequor sententiam. Sit itaque.

PROPOSITIO IV.

Nulla vera sufficiens ratio est, cur sex dies, quibus mundus in Genesi creatus dicitur, literali sensu non accipiamus.

20. *Prob.* Tunc figurato sensu, et non literali accipienda sunt testimonia Sacrarum Scripturarum, cum aliquid inde sequitur aut intrinsecus repugnans, et manifeste falsum aut contra mores, aut cum directe opponuntur aliis clarioribus testimoniis. Sed nihil horum sequitur, si literali sensu accipiamus sex dies, quibus in Genesi mundus asseritur creatus. Ergo etc. *Prob. min.* quoad singulas partes. Et quidem primo quoad

mores, quid inde sequi potest contra illos? Mores profecto conformari debent legis praeceptis. Sed quid creatio mundi successive sex diebus cum praeceptis legis tam Divinae naturalis, quam positivae? Sed nec quidquam repugnans, et manifeste falsum deduci potest. Etenim ut dictum est §. 18, cum mundus sit ens contingens, et creatum, ipsi essentialiter convenit mutatio, successio, et tempus: et propterea si ex parte Dei repugnat, ut tota mundi creatio non sit semper in actu, ex parte Mundi potuit totus simul habere existentiam, et potuit etiam successive habere per partes. Ergo nulla contradictio, nullum manifeste falsum sequitur, si ad literam accipiamus sex dies. Quoad tertiam partem, nedum id in nihilo contradicit cum aliis Scripturae locis, sed potius omnino confirmatur. Etenim Exodi cap. XX. v. 11. pro ratione Sabbati servandi affertur Mundi creatio sex successivis diebus: *Sex enim diebus fecit Dominus Coelum, et terram, et requievit die septimo.* Quomodo ergo sibi constabit ista ratio, ubi naturales, e veri non sint illi dies? Concludendum igitur, quod nulla vere sufficiens ratio etc.

Solvuntur objectiones.

21 *Ob.* Literalis interpretatio sex dierum, quibus in Genesi Mundus creatus asseritur, manifesta laborat contradictione. Ergo dies illi figurato sensu accipiendi sunt. *Prob. ant.* Dies consurgunt ex unaquaque revolutione Solis, et Siderum, sive reali, sive apparenti, circa terram: et quidem in Genesi dicitur cap. I. v.

14. *Fiant luminaria in firmamento coeli, et dividant diem, ac noctem, et sint in signa, et tempora, et dies et annos.* Sed Sol creatus asseritur in quarta die. Ergo repugnat, ut ante creationem illius tres dies effluxerint. Et propterea literalis sensus etc.

℟. Etsi dies commensurentur ex apparenti, vel reali revolutione Solis circa terram, ipsi tamen nihil aliud sunt, nisi datum tempus durationis. Ergo si Mundus ante Solis creationem exstitit tantundem tempus, quantum constituunt tres Solis revolutiones, nullum prorsus habetur absurdum, si dicatur, tres dies effluxisse antequam Sol crearetur. Itaque sufficiens non est hujusmodi ratio, ut figurato, et non literali sensu accipiantur dies creationis.

22. *C.* Atqui ex quo quarta die in Genesi Sol dicitur creatus veram habemus contradictionem, si dies literali sensu accipiantur. Ergo etc. *Prob.* In quovis die in Genesi nominantur *mane et vespere.* Sed *mane* est ante ortum Solis, et *vespere* post occasum ejusdem. Ergo ex quo Sol nondum erat creatus tribus prioribus diebus, veram habemus contradictionem, si illos dies literali sensu accipiamus.

℟. Etsi Sol creatus dicatur in quarta die, lux tamen prima die creata fuit, quae divisa a tenebris appellata est dies, et tenebrae appellatae fuerunt nox. Ergo principium diei optime dici potuit mane, et finis vespere. Eodem ferme modo id explicat Basylius homilia 2. in Exameron, ubi dicit: *Primigenia illa luce effusa, et rursus contracta secundum praefinitam a Deo mensuram fiebat nox, et dies succedebat.*

23. *C.* Atqui illa lux, quae primo die dicitur crea-

ta, et separata a tenebris, contradictionem, et manifestam falsitatem continet. Ergo nulla, licet ingeniosa solutio. *Prob.* Dividere unam rem ab altera, supponit, unam cum alia antea fuisse conjunctam. Sed repugnat, tenebras, quae sunt lucis privatio, conjungi posse cum luce. Ergo illa lux etc.

℟. Jam diximus §. 19, quod prae omnibus rationibus, quae afferri possunt contra literalem sensum sex dierum, potissima videtur illa de separatione lucis a tenebris. Sed tamen ejusmodi non est, ut absolute reiicere opus sit literalem sensum. Etenim primo animadvertendum, quod non Philosophis loquebatur Moyses, sed rustico potius populo; unde opus non fuit, ut scientifico stilo loqueretur. Secundo: Etsi cum aliqua duritie, verbum *divisit* accipi potest non pro vera divisione, et mutua separatione eorum, quae simul conjuncta erant, sed pro distributione, et alternativa successione, ita ut sensus sit, quod non semper dominabatur lux, neque semper erant tenebrae, sed modo illa, modo istae successive per locos; juxta rotationem terrae circa proprium axem. Semper itaque dicendum, quod nulla vera sufficiens etc.

24. *Ob.* II. Literalis sensus sex dierum creationis Mundi aliis opponitur Scripturae locis. Ergo rejiciendus est. *Prob. ant.* In eodem libro Genesis omnia a Deo facta dicuntur, veluti in una die: etenim sic legimus cap. II. v. 4. *Istae* sunt *generationes Coeli, et terrae, quando creata sunt, in die, quo fecit Dominus Deus Coelum, et terram.* Ergo literalis sensus etc.

℟. Constat inter Sacrae Scripturae interpretes, quod

vocabulum *in die* idem est, ac *in tempore.* Et quidem Maximus Doctor Augustinus lib. XX. de Civitate Dei scribit. *Scripturarum more sanctarum diem poni solere pro tempore, nemo, qui illas literas, quamvis negligenter legerit, nescit.* Itaque in objecto loco *in die* idem est, ac *in tempore.*

25. *C.* Atqui in allato loco vocabulum *in die* non accipiendum est pro tempore, sed pro una sola die. Ergo etc. *Prob.* Vox hebraica *Jom.* tunc in sacro Textu adhibetur ad significandum tempus, et non diem, cum repetita legitur *Jom Jom.* Sed in objecto loco non repetitur. Ergo etc.

℟. Observatum est a Buestorfio in sui *Lexico* ad vocem *Jom*, eam quandoque per syneqdochen usurpari in Sacris Scripturis pro *tempore.* Nec mirum. In iis enim saepe singularis numerus pro plurali accipitur, ita ut *in die*, et *in diebus*, seu in *tempore*, aeque significet.

26. *C.* atqui in allato loco ex quo vox *Jom*, non repetitur, ipsa exponenda est pro die, non vero pro diebus, aut tempore. Ergo etc. *Prob.* Ubi dubius sensus alicujus textus videtur, hic conferendus est cum alio loco parallelo. Sed si, cum alio conferatur allatus locus, clare apparet, ipsum exponi debere pro die, non vero pro diebus. Ergo etc. Ecclesiastici cap. XVIII. v. 1. habemus. *Qui vivit in aeternum, creavit omnia simul.* Ergo ex quo vox *Jom* in Genesi non repetitur, ipsa interpretanda est pro die, non vero pro diebus.

℟. Utique Deus ex parte sui, quia aeternus est, et immutabilis, omnia simul unico permanenti actu crea-

vit, imo et creat. Sed quaestio est, num etiam mundus ex parte sui totus simul in tempore coepit esse, an potius successive per partes. Utrumque fieri potuit, ut dictum est §. 18. Sed nos tamen tuemur, creatum fuisse successive per partes, quia nulla est vere sufficiens ratio, cur sex dies, quibus creatus asseritur in Genesi, non literali sensu accipiantur. Ceterum dicere quoque possumus cum Ecclesiastico, quod etiam respectu mundi, omnia simul fuerunt creata, quia in Genesi quoque primo versu habemus. *In principio creavit Deus Coelum, et terram.* Ergo omnia simul quoad substantiam creata fuerunt, et in sex diebus facta est distinctio partium.

PARS II.

DE CREATIONE HOMINIS.

27. Si plus interest scire nostra, quam aliena, majori studio procul dubio opus est in absolvenda hac secunda parte, quam caeteris. Itaque I. confutabimus errorem Praeadamitarum, qui negant, Adam fuisse primum hominem a Deo creatum. II. Sermo erit de Paradiso terrestri, in quo primo Adam a Deo positus est. III. disseremus de Adae peccato, et resipiscentia ejusdem. Et tandem de transfusione sui peccati ad universum genus humanum, sive de peccato Originali.

CAPUT I.

De Creatione primi hominis Adae.

28. Adam non fuisse primum hominem a Deo creatum somniavit Joannes Peyrelius Calvinista, qui saeculo XVII. prodiit systema Praeadamitarum. In eo duas a Moyse enarrari dicit procreationes hominum, alteram cap. I. Geneseos, et alteram cap. II. In hoc somniat describi productionem nostri Adae Patris Judaeorum, in illo mentionem fieri Parentis Gentilium, cujus ait Peyrelius, nec nomen, nec posteros memorat Moyses, propterea quod Hebraeus ipse tantummodo suae Gentis sibi proposuit originem, leges, et gesta enarrare. Praeadamitae ergo duplex statuunt hominum genus, Gentilium, et Hebraeorum, non ab uno, sed a diverso stipite propagatum, ita tamen, ut Adam caput Hebraeorum plurium saeculorum intervallo sit posterior illo, quem Gentilium parentem fingunt. Obiit Peyrelius anno 1678. Parisiis apud Patres Oratorii, inter quos se receperat, postquam Romae anno 1657 ejuravit tam haeresim Calvinianam, quam fabellam Praeadamitarum. Contra ipsum itaque, suosque, si sint, sectatores, sit

PROPOSITIO V.

Fabulosum prorsus est dicere, Adamum, qui II. Capite Geneseos describitur, non esse eumdem primum hominem, qui a Deo efformatus dicitur Cap. I.

29. *Prob.* Geneseos cap. V. habemus. *Hic est liber generationis Adam. In die, qua creavit Deus*

hominem , ad similitudinem Dei fecit illum. Masculum , et foeminam creavit eos , et benedixit illis etc. Ex quibus sic. Juxta sententiam Praeadamitarum, in Cap. II. Geneseos describitur Adam Pater Hebraeorum , et cap. I. describitur Pater Gentilium , cujus reticetur nomen , et qui multis saeculis praecessit Adamum. Ergo si Moyses sibi proposuit describere originem suae Gentis , allata verba cap. V. pertinent ad Adamum Patrem Hebraeorum , qui describitur cap. II. Sed ipsa quadrant omnimode cum illis , quae in cap. I. dicuntur de primo homine a Deo creato. Ergo Adam capitis II. unus , et idem est cum primo homine , qui in primo capite dicitur factus ad imaginem Dei.

3o. Deinde. Geneseos cap. II. v. 5. legimus. *Et homo non erat , qui operaretur terram.* Ergo praeter Adamum patrem Hebraeorum , qui ex Praeadamitis in hoc secundo Capite describitur a Moyse , nullus alter homo erat super terram. Et propterea idem ipse est cum primo homine , qui a Deo creatus dicitur Cap. I. Secundo. In eodem libro Geneseos cap. III. v. 20 habemus. *Et vocavit Adam nomen uxoris suae Heva. Eo quod mater esset cunctorum viventium.* Procul dubio ex Peyrelio hoc caput pertinet ad originem Hebraeorum. Ergo sicut cunctorum et Gentilium , et Hebraeorum Heva fuit Mater , cunctorum quoque pater fuit Adam. III. tandem ad Rom. cap. V. v. 12. ait Paulus. *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit , et per peccatum mors.* Ergo si omnes omnino homines per peccatum morti addicti fuerunt , omnes posteri dicendi sunt unius Adae praevari-

catoris. Concludendum igitur, quod fabulosum prorsus est etc.

Solvuntur objectiones.

31. *Ob.* In primo Capite Geneseos homo factus legitur diverso modo, quo factus legitur Adam in cap. secundo. Ergo Adam diversus est ab illo, et etiam illo posterior.

℟. In primo Cap. Moyses strictim enarravit formationem primi hominis, et eamdem fusius enarravit cap. secundo. Et quidem, quod unus, et idem homo sit, de quo strictim in primo, et fusius in secundo cap. loquitur Moyses, id patet ex cap. V. Certe per Praeadamitas ipsos in hoc cap. sermo est de Adamo, de quo cap. secundo. Sed verba quadrant cum descriptione primi hominis, de quo in cap. I. Ergo unus, et idem primus homo describitur in utroque capite, licet modo strictim, et modo fusius.

32. *C.* Atqui in cap. primo Geneseos ita diverso modo factus dicitur homo, ut non sit idem cum Adamo, qui describitur in cap. secundo. Ergo etc. *Prob.* Juxta praxim hebraicam, in cap. primo non legendum est, *ut praesit*, scilicet homo, uti in Vulgata; sed *ut praesint*, idest homines. Sed in cap. secundo sermo est de uno Adam. Ergo etc.

℟. Quod a Deo dictum est Adae, ut praeesset omnibus piscibus maris, volatilibus Coeli, et animantibus terrae, propterea quod illum fecerat ad imaginem, et similitudinem suam, intelligendum est quoque de cun-

ctis Adae posteris : et idcirco in textu Hebraico ponitur numerus pluralis *ut praesint*. Convenit ergo Vulgata cum phrasi hebraica, etsi illa loquatur in numero singulari, et haec in plurali; quoniàm utraque pro certo ponit unum Adam patrem cunctorum hominum.

33. Plura alia a Praeadamitis opponi solent. Et quidem 1. dicunt. Cain, occiso Fratre Abele, Deo minitanti ait. *Ecce ejicis me hodie a facie terrae . . . Omnis igitur, qui invenerit me, occidet me*. Si duo; et non plures, erant Filii Adae Cainus, et Abel, quomodo, occiso Abele, pertimescere poterat Cainus, ne occideretur, et quidem a quocumque, si solus ipse cum Patre remanserit? Alii ergo, erant ex diverso stipite homines, et quidem multi, quoniam dixit Cainus, *Omnis, qui invenerit me*.

2. Ex cap. IV. Geneseos v. 17. Cain *aedificavit Civitatem, vocavitque nomen ejus ex nomine Filii sui Henoch*. Profecto multi requiruntur homines ad aedificandam civitatem, et nonnisi pro multis aedificatur. Sed unde isti tam multi, exclusis Praeadamitis?

3. In eodem lib. Genesis Abel dicitur fuisse Pastor ovium. Sed si non plus, quam quatuor, tunc erant homines, scilicet. Adamus, Æva, ipse Abel, et Cainus, quibus, et a quibus potuisset colere, et custodire oves? Ergo alii, et quidem multi, erant tunc homines super terram.

Tandem dicunt. Magno labore, temeritate multa, et spretis maximis periculis, Europei longissimas susceperunt navigationes, et detegerunt Americam, de qua nullus suspicabatur, et quod magni stuporis causa fuit,

illam invenerunt ab hominibus habitatam. Sed unde illi homines? Non ex nostro Adam, secus aliqua traditio fuisset de illorum a nostro continente emigratione. Sed quomodo transmeari potuisseut in tam remotas Regiones, si miro prorsus modo illuc potuerunt pervenire, qui nautica scientia tantopere erant edocti, et magnis navibus praemuniti? Remotissima ergo supra Adam repetenda est origo Gentis Americae.

*. Ad singula. Et quidem ad primum dicimus, quod cum Cainus Abelem occidit, satis propagata erat Adae familia. Et quidem Abel occisus est eodem ferme tempore, quo natus est Sethus. Etenim in Genesi cap. IV. v. 25. habemus. *Cognovit quoque adhuc Adam uxorem suam, et peperit filium: vocavitque nomen ejus Seth, dicens: Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain.* Sed ut constat ex cap. V. ejusdem libri Seth natus est anno mundi 130. Ergo potuit timere Cain a quibus potuisset interfici. Sed et cur illius timor intelligi debet pro eo ipso tempore, et non potius pro tempore futuro?

Ad secundum respondemus; quod ex communi Cronologorum Sententia Civitas *Henoch* a Caino aedificata fuit anno mundi 500. Spatium itaque quingentorum annorum sufficiens fuit, ut valde multiplicaretur genus humanum, praesertim si attendamus ad aetatem maxime longaevam, qua vixerunt primi homines. Caeterum scimus, qua magnitudine in sui exordio fuerunt antiquissimae civitates.

Ad tertium. Eccur non potuit Abel colere oves pro quatuor tantum personis, quinimo pro seipso solo? Nun-

quid asseritur in Genesi, quod multorum millium erat Abelis ovile? Sed non quatuor tunc erant homines. Si interfectus fuit Abel prope centesimum trigesimum Mundi annum, et pastor interfectus est, non parum multiplicatum erat humanum genus. Quoad custodiam autem ovium poterat ipsa exerceri, ut etiam modo exercetur, non solum respectu hominum, sed etiam ferarum, et ut ab herbis noxiis removerentur.

Ad ultimum, quod maximi faciunt Adversarii, et quo recentiores increduli utuntur ad falsum demonstrandum universale diluvium, ut levissimum omnino appareat, nonnulla sunt animadvertenda. Et quidem I. Scientiae omnes, et artes, maximis vicissitudinibus semper fuerunt subjectae nunc mirum in modum florescunt, nunc pene videntur extinctae: et quod majus, constanter semper ex una in aliam transeunt regionem. Quis ignorat quantum ipsae olim floruerunt in Ægypto, et praesertim ars nautica, et undequaque maritimum commercium? Eccur Ægyptii Americam adire non potuerunt? II. quod maxime notandum est, si America longe distat ab Europa, ipsa tamen sub circulo polari arctico, et quasi sub gradu 160 longitudinis, contigua est Asiae, a qua dividitur per fretum repertum anno 1727 non ita latum, et nihil altum, et quasi semper glaciatum, et nuncupatum *Behering*. Per fretum istum ergo ex Asia in Americam, et vicissim, commeare olim potuerunt homines.

CAPUT II.

De Paradiso terrestri.

34. Non defuerunt, nec desunt Theologi, qui Paradisum voluptatis non literali sensu, sed allegorico, accipiendum esse dicunt. Nos tamen iisdem ducti rationibus, quibus in §. 20. cum sermo fuit de sex diebus, quibus in Genesi mundus creatus describitur, ad literam intelligimus, et sequentibus explicabimus propositionibus.

PROPOSITIO VI.

Paradisus voluptatis non allegorice intelligendus est, sed pro loco vere corporeo sensibus subjecto.

35. *Prob.* In Genesi expressis verbis Paradisus voluptatis asseritur corporeus: etenim plantatus dicitur a Deo in principio, et quod in eo posuit hominem, quem formaverat. In eodem erat omne lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave, lignum etiam vitae in medio, et lignum scientiae boni, et mali. Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum. Et in tota descriptione nihil occurrit, quod corporeum non sit, aut ad allegoricum sensum nos impellat. Sed ex literali sensu nihil sequitur, ut quisque ex se videt, aut contra fidem, aut contra mores; nihil item vere repugnans, aut contrarium aliis Scripturae locis. Ergo nulla causa est, cur non literali sensu accipiatur, et pro loco vere sensibus subjecto.

36. Confirmatur. Si allegorice Paradisus voluptatis accipitur, omnia etiam allegorice erunt accipienda, quae in eodem loco Genesis enarrantur. Ergo non reipsa Adae interdictum fuit edere de ligno scientiae boni, et mali: et idcirco de illo non edit. Ergo non reipsa inobedientiae reus factus est. Si non reus ipse, multo minus illius posteri. Quomodo ergo Apostolus ad Rom. cap. V. v. 12. ait. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt?* Et ibidem v. 19. *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi?* Sed et quomodo allegoria continuata usque ad finem, quin tandem indicetur cui referatur? Sed et cui referre poterimus, quae habentur cap. III. Geneseos v. 8. *Abscondit se Adam, et uxor ejus a facie Domini Dei in medio ligni Paradisi?* Cui quae ibidem v. 7. dicuntur: *Cunque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, et fecerunt sibi perizomata?* Si nusquam allegorice accipi possunt arbores, inter quas se absconderunt primi Parentes, nec folia, quibus se operuerunt, dicendum quod etc.

Solvuntur nonnullae difficultates.

37. Inter quae obiiciuntur, duo praesertim sunt observatu digna. I. cap. II. Geneseos v. 10. legimus. *Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita. Nomen uni Phison .... Et nomen fluvii se-*

cundi Gehon . . . Nomen autem Fluvii tertii , Tigris . . . Fluvius autem quartus , ipse est Euphrates. Ergo ex sacro textu , si literaliter illum accipere velimus , quatuor flumina , Phison , quod est Ganges , Gehon , quod est Nilus , Tigris , et Euphrates, unam, et eamdem originem habent , scilicet ex loco voluptatis. Sed quis, nescit, quam diversam, et remotissimam inter se originem habent ista flumina; et quam adverso alveo decurrunt ? Ergo , nisi manifeste falsa credere velimus, dicendum , quod allegorice intelligendus est Paradisus voluptatis.

Alterum est. Procul dubio si Adam non peccasset , e Paradiso voluptatis non fuisset ejectus, nec morti ipse fuisset addictus , nec omnes posteri ejus : per peccatum enim mors intravit in mundum. Sed quomodo locus ille capere potuisset tantam multitudinem hominum ? Ergo allegorice etc.

*. Frustra post diluvium universale , per quod tota ferme terrae superficies immutata est , et adeo quidem, ut saepe ubi erant montes , et arida , fuerint postea valles , et maria, ac vicissim , frustra , inquam, nunc quaeritur, num revera enunciata quatuor flumina eadem omnino sint , ac illa , quae de uno loco voluptatis in *Genesi* egredi dicuntur. Et quidem : Sine dubio ex montibus suam originem habent flumina. In diluvio ex visceribus disrupta est terra , et superficies omnino immutata , plures depressi fuerunt montes , et plures alii de novo excitati. Ergo immutata quoque fuerunt flumina , et cursus illorum. Quod si quaeras , cur laudata quatuor flumina iisdem appellantur nominibus ,

dum eadem illa priora non sunt, dicô, quod forsan id factum est ex quo istorum quasi idem est cursus, et easdem quasi irrigat regiones. Caeterum aliquod nomen istis imponi opus erat: cur non illud idem, quod erat prioribus?

Ad alterum dico, quod non legimus in Genesi, Adam cum omnibus suis posteris semper in Paradiso futurum fuisse, si Dei praecepta servavisset. Quinimo habemus: cap. I. v. 28. *Crescite, et multiplicamini, et replete terram, et subjicite eam, et dominamini piscibus maris, et volatilibus Coeli, et universis animantibus, quae moventur super terram.* Ergo tota potius terrae superficies esse debebat hominum habitatio. Ecquid ista illos capere non poterat, maxime cum ex se naturaliter, non labore hominum, terra produxisset et herbas et fructus in cibum humani generis? Sed et quis scit de tempore istiusmodi habitationis hominum? Non potuissent forsan post datum tempus, transferri in Coelum?

38. Quaeri quoque solet, num adhuc supersit Paradisus terrestris. Vana prorsus quaestio! Si per diluvium universale tota superficies terrae immutata est, quomodò, juxta naturae leges loquendo, integer superesse potuit terrestris Paradisus? Sed et facto constat non superesse. Nulla quippe terrae pars est prorsus ignota nostris temporibus, nulla incolis penitus orbata. Cur ergo nulla notitia de loco isto tam singulari? Nunquid dicemus, quod Deus invisibilem reddidit? Sed nihil de hoc habemus ex Scripturis, nihil ex Traditione. Et oppositum suadet humana ratio, quia visibilis potius

servari debuisset ad confirmandam fidem eorum, quae in libro Genesis enarrantur de creatione primi hominis.

39. Prae caeteris, quae de terrestri Paradiso metaphorice nonnulli Rabini volunt esse intelligenda, est lignum scientiae boni, et mali. Itaque hoc ligno designari contendunt usum conjugii ad certum tempus Protoparentibus a Deo interdictum. Haec opinio Rabinorum originem habuisse videtur ex quo usus conjugii saepe in sacro Textu cognitio appellatur, ut habemus de Davide: *Et non cognovit eam.* Lib. III. Regum cap. I. v. 4. Sed ex contextu omnia dispicienda sunt, ut internoscatur, quo sensu intelligenda sunt. Itaque sit

PROPOSITIO VII.

Lignum scientiae boni, et mali non metaphorice, sed ad literam accipiendum est.

40. *Prob.* Geneseos cap. II. v. 9. legimus. *Produxitque Deus de humo omne lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave: lignum etiam vitae in medio Paradisi, lignumque scientiae boni, et mali.* Ergo lignum scientiae boni, et mali eodem modo accipiendum est, quo caetera ligna, quae in Paradiso a Deo creata dicuntur. Nullum enim discrimen deduci fas est ex narratione sacri Textus. Sed caetera ligna non metaphorice, sed literaliter sunt accipienda (§. 35). Ergo sic pariter accipiendum est lignum scientiae boni, et mali. Sed adde. In eodem lib. Genesis cap. III. v. 6. legimus. *Vidit igitur mulier, quod bonum esset*

lignum ad vescendum , et pulchrum oculis, aspectuque delectabile : et tulit fructum illius , et comedit: deditque viro suo , qui comedit. Quid ista cum conjugio ? Quid excerpere potuit Heva , et comedere , et offerre Viro, qui et pariter comedit ? Ad literam ergo, non metaphorice , lignum istud accipiendum est.

41. De arbore ista S Thomas 1. parte , quaest. X. art. 1. Ad quartum scribit , quod ab eventu futuro illud nomen sortita est : nimirum quia post ejus comestionem didicit Adam , quodnam esset discrimen inter obedientiae bonum , et inobedientiae malum.

42. De specie autem ejusdem arboris non convenit inter Theologos. Nonnulli opinantur fuisse vel vitem , vel frumentum : et id non alia de causa , nisi quod Christus in pane , et vino suum corpus , et sanguinem tradidit nobis in sua ultima coena , ut eadem re , qua debitum a nobis fuerat contractum , eadem et ipse persolveret. Sed animadvertant isti , quod lignum scientiae boni , et mali erat pulchrum oculis , aspectuque delectabile , quod verum non est de frumento , et vite. Alii opinati sunt fuisse ficum , ex eo quod post patratum crimen Adam , et Heva sibi consueverunt folia ficus, cui erant viciniores. Sed contra videtur probabilius , Protoparentes longe potius aufugisse ab arbore , cujus fructum comederant , ne quid pejus sibi ipsis accideret. Tandem communior sententia est , illum arborem fuisse vel pyrum , vel malum punicum , ex quo Canticorum cap. VIII. v. 5. habemus. *Sub arbore malo suscitavi te : ibi corrupta est mater tua , ibi violata est genitrix tua.* Sed quoniam vox *malum* designare solet

quemlibet fructum odoriferum, idcirco dicendum, quod nihil certi inde concludi fas est.

CAPUT III.

De Adae peccato, et resipiscentia.

43. Adam peccasse, et ab originali justitia decidisse ejusmodi fidei dogma est, ut nullus, qui Christi Religioni nomen dedit, de illo dubitare ausus sit. Et merito quidem. Etenim si super Christi Redemptionem tota fundatur Religio Christiana, ad quid Redemptio isthaec, si per Adae peccatum Coelorum aditus non fuisset humano generi reclusus? Sunt quidem, et multi, qui et Adae peccatum, et transfusionem illius, ad totum humanum genus, derident. Sed pseudophilosophi isti vel nullimode, vel nomine solum, non vero re, ad Christi Religionem pertinent, quos nos satis refutavimus in primo libro nostrarum Institutionum, in quo insufficientem demonstravimus hominem in praesenti statu, ut faceret satis duplici fini, cur Deus mundum, et hominem ex nihilo creavit. Quod vero non convenit inter Theologos duplex est. Primum, cujus generis fuerit Adae peccatum. Alterum, num si sola Heva peccaverit, et Adam firmus stetisset, transfunderetur nec ne originale peccatum ad totum futurum humanum genus.

44. Primam quaestionem, quae est inter S. Bonaventuram cum Scoto, et Divum Thomam, quoniam nullius, aut parvi momenti omnino est, libenter omittimus. Et eo libentius, quia si utraque bene, et sine

amore partium, perpendatur sententia, una quasi invenitur. Et quidem S. Bonaventura cum Scoto opinantur, Hevam peccasse superbia, quia sugerente diabolo oppetiit fieri similem Deo per scientiam boni, et mali, Adam vero peccasse, dicunt, ex inordinato erga uxorem suam amore. Contra, Angelicus Doctor secunda secundae quaest. 163 art. primo scribit, primum peccatum primi hominis fuisse superbiam. Et non solum conatur ostendere ex Ecclesiastico cap. X. v. 15 *Initium omnis peccati est superbia.* Sed etiam, suo more, validis theologicis rationibus confirmat.

45. Sed non video quodnam reale discrimen sit inter utramque sententiam. Nonne ex Sacro textu habemus, quod Heva ex sugestione Diaboli, *tulit de fructu illius, et comedit, deditque viro suo, qui comedit?* Nonne ergo causa, cur Adam comedit, fuit Heva? Sed qua ratione potuit Heva tantum crimen suadere Adae et tantum illum decipere, ut sibi suaderet, ex comestione illius fructus fieri posse, ut esset veluti Deus sciens bonum, et malum? Procul dubio id factum est ex inordinato amore erga uxorem suam. Ergo causa formalis peccati Adae fuit superbia, quia appetiit Dei scientiam. Et causa occasionalis, et prima in ordine, fuit nimius amor erga uxorem, ex quo factum est, ut contra experientiam, quoniam jam videbat, quod uxor non acquisiverat Divinam scientiam ex jam peracta comestione illius fructus, tamen crediderit fieri posse veluti Deum. En ergo quomodo non in re, sed in verbis, est allata dissentio.

46. Quoad alteram vero quaestionem, num scilicet si

Heva solum peccasset, et Adam firmus stetisset, nihilominus originale peccatum in omnes homines transfunderetur, communior sententia est pro parte negativa. Et propterea sit

PROPOSITIO VIII.

Si Adam firmus in obedientia stetisset, ex solius Hevae defectione, originale peccatum in universum genus humanum non fuisset transfusum.

47. *Prob.* Apostolus ad Romanos cap. V. v. 12 scribit. *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Et v. 17. *Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiae et donationis, et justitiae accipientes in vita regnabunt per unum Jesum Christum.* Ex quibus sic. Procul dubio duo peccaverunt, et quidem prius Heva, et postea Adamus: et tamen Apostolus unius tantum mentionem facit, ex quo, dicit, in mundum intrasse peccatum, et per peccatum mortem; hoc est originale peccatum in omnes transfundi. Ergo ne mendacii incusemus Apostolum, dicendum, quod sola inobedientia Adae, non etiam illa Hevae, causa est, ut originale peccatum in omnes transfundatur. Deinde: Apostolus hic antithesim instituit, et docet, quod sicut unus homo Adam auctor fuit peccati, et causa mortis totius humani generis, ita Christus homo simul, et Deus auctor fuit gratiae,

per quem salus, regeneratio, et vita aeterna in omnes. Ergo sicut Christus solus est auctor vitae; et Maria ejus mater, etsi dicatur corredentrix nostra, id tamen in hoc tantum sensu verum est, quod Divino Verbo ministravit corpus, veluti medium, et instrumentum, quo nostram redemptionem Christus operatus est: ita solus Adam causa fuit nostrae ruinae: et Heva vetitum fructum edendo; et Adae ministrando nihil aliud praestitit, nisi offerre Adae occasionem, et scandalum, unde ille totum perdidit humanum genus. Ergo dicendum, quod si Adam etc.

Satisfit Objectionibus.

48. Sed dicunt, qui oppositam sententiam tuentur. Ecclesiastici cap. XXV. v. 33. legimus: *A muliere initium factum est peccati, et per illam omnes morimur.* Ergo si per Hevam morimur, ab illa, non secus ac ab Adamo, originale peccatum in omnes transfunditur.

Hoc ipsum docent Sancti Patres. Et primo S. Irenaeus libro primo contra haereses cap.XIX. ait: *Quemadmodum adstrictum est morti genus humanum per virginem (nempe Hevam), ita solvitur per Virginem (nempe Mariam).*

Et S. Epiphanius haeresi 78 scribit. *Heva mortis causa facta est hominibus ... Maria vero causa vitae.* Tandem sic Adversarii Theologica ratione argumentantur. Transfusio originalis peccati addicta fuit humanae generationi. Sed mulier aeque ac vir, est principium

activum generationis. Ergo transfusio originalis peccati in filios Adae, et Hevae aeque tribui debet utrique.

r. Et quidem ad allatum testimonium Ecclesiastici dicimus, quod revera a muliere initium peccati factum est, quia Heva prior peccavit: et quoniam illa occasio fuit, ut Adam similiter peccaverit, verum quoque est, quod per illam omnes morimur; sed non ut causam principalem, bene vero occasionalem. Id patet ex scopo totius ferme capitis praedicti, in quo mulieris defectus describuntur: et confirmatur ex Apostolo ad Romanos, ut diximus (§. *47*.) ex quo clare deducitur, solum Adam fuisse veram principem, et formalem causam transfusionis peccati originalis.

Ad Irenaeum, et Epiphanium dicimus, quod ex antithesi, quam instituunt inter Hevam, et Mariam, non deducitur, Hevam fuisse veram causam transfusionis peccati originalis, sed potius contra. Etenim Heva debet esse causa nostri humani generis eodem modo, quo Maria est causa nostrae reparatae salutis. Sed Maria non fuit causa princeps salutis, sed occasionalis tantum, veluti quae corpus ministravit Filio Dei, quo ille operatus est nostram redemptionem, ita ut Maria sola, sine Filio Dei humana carne induto, nihil nobis pro aeterna salute contulisset. Ergo pariter Heva non fuit, nisi causa occasionalis, ut Adam peccaverit, ex quo originalis peccati transfusio, ita ut si Adam illius exemplum non fuisset imitatus, Hevae peccatum nihil contulisset ad mortem omnium.

Ad ultimum respondemus, quod licet concedatur, tam virum, quam mulierem esse principium activum gene-

rationis, cui addicta est transfusio peccati originalis, tamen praeceptum non edendi fructum arboris scientiae boni, et mali soli Adae factum fuit, veluti uni capiti totius humani generis. Et id adeo verum est, ut quando praeceptum illud datum fuit, nondum Heva efformata fuerat ex costis Adae. Nam sic legimus cap. II. Genesis v. 16. *Praecepitque ei* (Adae) *dicens: ex omni ligno paradisi comede. De ligno autem scientiae boni, et mali ne comedas: in quacumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Et v. 18, subdit. *Non est bonum esse hominem solum: faciamus et adjutorium simile sibi.* Et tandem v. 21. habemus. *Immisit ergo Dominus soporem in Adam: cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus, et replevit carnem pro ea. Et aedificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem: et adduxit eam ad Adam.* Ergo, quin adducantur aliae rationes, ex sacro textu clarissime constat, soli Adae, veluti capiti totius humani generis, datum fuisse praeceptum: et propterea ex illo solo humanum genus vel salutem, vel mortem fuisse consecuturum.

49. Quaenam autem fuerit ultima sors Adae, salvus ne factus sit, an vero cum Angelis rebellibus, in aeternum sit perditus; communis Theologorum opinio est, illum sincere suae inobedientiae poenituisse, et aeternam salutem fuisse consecutum. Sed non defuerunt tamen, teste Iraeneo lib. I. cap. XXXVIII., qui dixerunt, Adamum aeternis suppliciis fuisse damnatum. Hi fuerunt Encratitae, sic dicti ex quo nuptias execrabantur. Contra istos itaque sit

PROPOSITIO IX.

Dubitandum non est, quin Adam aeternam salutem sit consecutus.

50. *Prob.* Sapientiae cap. X. v. 1. haec habemus de Adam. *Haec illum, qui primus formatus est a Deo Pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit, et eduxit illum a delicto suo, et dedit illi virtutem continendi omnia.* Ergo si Adam, et quidem per operatam sapientiam, a Deo deductus fuit a delicto suo, procul dubio aeternam salutem obtinuit: Huc accedit, quod communis est haec doctrina Theologorum, ne dicam omnium credentium. Unde Augustinus in Epistola ad Evodium scribit. *De illo quidem primo homine patre humani generis, quod eum inde solverit Christus, Ecclesia fere tota consentit.*

51. Sed et idem confirmatur theologica ratione, Deus qui ex Apostolo ad Hebraeos cap. II. v. 16, *nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit*: qui scilicet noluit misereri Angelorum, et misertus est humani generis: et ea ratione misertus, ut suum consubstautiale Verbum miserit, ut assumpta humana carne, morte acerbissima abbundanter posset facere satis suae Divinae Justitiae pro injuria ab humano genere sibi allata, quomodo etiam non misertus est primi parentis hominum? Si ergo totum voluit salvum humanum genus, quantum est ex parte sui, dubitare ne poterimus, quin gratiam futuri Reparatoris assecutus

fuerit Adam pater omnium, non excluso ipso Redemptore? Si tot Patriarchae et Prophetae salvi facti sunt in Fide Christi futuri, quomodo non item primus Pater? Quae gloria, quasi dicam, Redemptoris, si inter redemptos non fuerit caput, et Pater omnium? Ast si Deus damnatum voluisset Adamum, cur non statim perdidit post peccatum, sicut fecerat cum Angelis? Ergo si longo tempore voluit ut viveret super terram, non solum illum voluit salvum, sicut omnes posteros, sed ut poenitentiae, et resipiscentiae, omnibus esset exemplar. Si ergo duo ad salutem requiruntur, gratia scilicet Dei, et eidem libera nostra cooperatio, quomodo ex modo dictis rationibus dubitare poterimus de peculiari gratia Dei Adae collata, et de perfecta cooperatione Adae, qui dulcissima dona expertus fuerat gratiae justitiae originalis, et infelicissimos effectus sui peccati? Dicendum ergo, quod perfecte se poenituit, et aeternam salutem fuit assecutus.

Solvuntur nonnullae Objectiones.

52. Quae in nostram thesim afferri solent, ad haec reducuntur. I. Allatum a nobis Sapientiae testimonium (§50) juxta vim graecae versionis, non reddendum est: *Eduxit illum a delicto suo:* sed: *Eduxit illum de limo terrae.* Ergo nihil confert ad asserendam aeternam Adae salutem. II. Rubertus Abbas insignis Theologus saeculi XII. in dubium revocavit Adae salutem: Et S. Bernardus aperte negavit in libro *De modo bene vivendi.* III. Liber de poenitentia Adae, ex quo deri-

vata est opinio ferme universalis de Adae aeterna salute, adulterinus declaratus fuit a Gelasio Papa. Ergo pro nihilo reputanda est hujusmodi quasi universalis opinio. Tandem: nullus veniae locus inventus est pro Angelis peccantibus: ergo nullus quoque pro homine delinquente.

53. ℟. Et quidem ad primum dicimus, quod Sapientiae locus, de quo est sermo, retinendus est juxta vulgatam editionem, tum quia ita legitur in longe pluribus antiquissimis codicibus, quibus cohaeret D. Augustinus in Epistola ad Evodium, tum maxime quia ita postulat sensus orationis. Nam postquam in fine capitis noni dictum est: *Per Sapientiam sanati sunt, quicumque placuerunt tibi, Domine, a principio:* in toto cap. X. proponuntur varia exempla eorum, quos Sapientia liberavit, et primo affertur Adam, de quo asseritur: Haec (Sapientia) *illum, qui primus formatus est a Deo pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit.* Ad quid ergo verba Graecae Versionis, *eduxit illum de limo terrae?* Hisce adde, quod Vulgata a Concilio Tridentino declarata est authentica cum omnibus, et singulis ejus partibus.

54. Ad Rupertum respondemus, quod inter Patres ille numeratus non est: quapropter nullius ponderis existimanda est ejusdem doctrina: et eo vel magis quod non omnino tunc constabat de canonicitate Libri Sapientiae. Ad Divum Bernardum dicimus, quod, ut observat Bellarminus, ad illum non pertinet liber *de modo bene vivendi.* Et quidem a nobis non numeratus fuit, in II. libro, inter opera hujus Doctoris.

55. Quoad librum poenitentiae Adae, is non declaratus est adulterinus a Gelasio Papa in Concilio Romano, quia in ipso asseritur, Adam sui peccati se poenituisse; sed quia multa fabulosa enarrat. Et quidem nonne idem Gelasius rejecit quoque librum *de ortu, et infantia Christi Jesu?* Nunquid ex inde licet concludere, Christum nec natum fuisse, nec habuisse infantiam? Quippe non rejiciuntur libri, quia omnia, quae enarrant, falsa sunt, sed aliqua dumtaxat.

56. Ad ultimum dicimus, quod purum sophisma est. Non enim eadem est ratio peccati Angelorum, et peccati Adae. Sed et imperscrutabilibus suis judiciis misericordia uti voluit Deus erga Adam, et justitia erga Angelos: et propterea, ex Apostolo, apprehendere voluit hominem ratione incomprehensibili, et non Angelos. Si ergo, quod non potest in dubium revocari, redimere voluit humanum genus, et quidem totum, quantum est ex parte sui, dummodo suorum peccatorum poeniteat homines, cur negabimus Adae poenitentiam, et inde illius aeternam salutem, si validiora motiva illi fuerunt poenitendi?

CAPUT IV.

De peccato originali.

Adae peccatum in omnes posteros transfundi, praecipuum fidei dogma est. Sed nihilominus id pertinaciter negavit impius Pelagius in quinto Ecclesiae saeculo. Contra Haeresiarcham istum omnes nervos intendit Ma-

ximus Doctor Augustinus. Et contra eumdem sit nostra sequens de fide

PROPOSITIO X.

Adae peccatum in omnes sui posteros transfunditur.

57. Priusquam nostra de fide assertio demonstratur, notandum est, quod cum dicimus *in omnes*, id non omni rigore accipiendum est, ita ut nullus omnino excipiatur. Etenim Christus Jesus vere fuit homo: sed quia in ipso humanitas unione hypostatica unita erat personae Divini Verbi, idcirco non solum ab originali labe fuit immunis, sed etiam destinatus erat ad illam destruendam, et humanum genus reparandum. Idipsum, ut suo loco videbimus, quasi de fide dicendum est de Beatissima vera Dei Matre Virgine Maria, ut quae Divino Verbo carnem ministrans, potius ad reparantis, quam reparati, ordinem pertinebat.

58. *Prob.* itaque nostra Thesis, et quidem primo ex Veteri Testamento. Geneseos cap. XVII. v. 12 et seq. habemus. *Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne masculinum in generationibus vestris, tam vernaculus, quam emptitius circumcidetur, et quicumque non fuerit de stirpe vestra. Eritque pactum meum in carne vestra in foedus aeternum. Masculus, cujus praeputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illius de populo suo: quia pactum meum irritum fecit.* Ex quibus sic argumentamur. Procul dubio nulla culpa propria reus esse poterat puerculus, qui

non circumcideretur, praesertim si attendamus ad tempus, quo lex circumcisionem jubebat, scilicet octavo die ab illius nativitate. Et pugnat cum Dei justitia, et bonitate, ut innocens quis gravissima poena plectatur. Sed in allato testimonio puerculis octavo die non circumcisis comminatur poena mortis. Ergo alia culpa, si non propria actuali, rei sunt parvuli, et quidem culpa originali. Secundo in Psalmo L. v. 7. David dicit: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: et in peccatis concepit me mater mea.* Sed quo alio peccato lamentari potuit David, excluso illo originis? Ergo etc.

59. *Prob.* II. ex Novo Testamento. Apostolus ad Romanos cap. V. v. 12 scribit: *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors; et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt .... Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae, qui est forma futuri.... Et non sicut per unum peccatum, ita et donum: nam judicium quidem ex uno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in justificationem. Si enim unius delicto mors regnavit per unum .... Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitae.* Quid clarius? Si per unum hominem Adamum ita peccatum intravit in mundum, ut omnes inde moriantur, et quidem non alia de causa, nisi quia omnes in illo peccaverunt, quomodo dubitari poterit de transfusione Adae peccati in omnes posteros?

Omnes revera moriuntur, quia ex Apostolo omnes in Adam peccaverunt. Ergo omnes rei nascuntur Adae peccati. Et id confirmatur ex eodem Apostolo Epist. II. ad Corinth. cap. V. v. 14. ubi scribit. *Si unus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt.* Dubio procul parvuli non excluduntur ab hac lege. Sed isti propria culpa non pereunt. Ergo si pro ipsis quoque unus (Christus) mortuus est, dicendum, quod peccaverunt in Adam: et proprie Adae peccatum in omnes posteros transfunditur.

60. Omittimus auctoritatem Sanctorum Patrum, praesertim antiquissimorum, ex quorum consensu Ecclesia eruit divinam, et Apostolicam Traditionem, quoniam hoc dogma de transfusione peccati originalis omni solemnitate firmatum fuit a Concilio Tridentino suo decreto de pec. orig. edito sess. V. num. 3, *Si quis Adae praevaricationem sibi soli, et non ejus propagini asserit nocuisse; et acceptam a Deo sanctitatem, et justitiam, quam perdidit, sibi soli, et non nobis etiam eum perdidisse, aut inquinatum illum per inobedientiae peccatum, mortem, et poenas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod mors est animae, anathema sit: cum contradicat Apostolo dicenti. Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.*

Solvuntur objectiones Haereticorum.

61. Multa opponunt Haeretici: Sed primo videamus, quid respondent ad testimonia a nobis allata. Itaque contra testimonium Genesis: *Masculus* etc. (§. 58) dicunt primo, quod illud non accipiendum est de pueris, sed de adultis, qui propria culpa non circumciduntur. Etenim vox hebraica *Zachar* significat hominem aetate provectum. II. Pactum, de quo est sermo, non referendum est ad praeceptum Dei factum Adae, sed ad foedus initum Deum inter, et Abraham. Ergo nihil pertinet ad Adae peccatum. III. Poena, quae ibi sancitur, non designat mortem aeternam, et exclusionem ab haereditate regni caelestis, sed aut mortem corporis, aut simplicem exclusionem a populo Israelitico, a quo revera removebantur incircumcisi.

62. Sed vana sunt effugia ista. Et quidem ad primum dicimus, quod indefinite ibi loquitur Deus: *Masculus* etc. Ergo de omnibus testus intelligendus est, sive illi sint pueri, sive sint aetate adulti. Sed pueri, qui carent propria culpa, nulla poena digni sunt. Ergo originis culpa dicendi sunt rei. Sed adde, quod de pueris potius illa verba intelligenda sunt, quia lex erat, ut puer octavo die circumcideretur.

63. Inde patet responsio ad alterum. Etenim quodcumque sit pactum, poena in Genesi comminata aptari non potest pueris, qui quacumque culpa propria carent. Sed nihilominus comminatur etiam pueris. Ergo aliqua culpa ipsi sunt rei, nempe illa originis.

64. Ad ultimum dicimus, quod licet exclusio intelligatur non ab haereditate caelesti, sed a Populo Israelitico; et mors non aeterna, sed temporalis, ista tamen poena sub justissimo Deo nullatenus convenire potest pueris innocentibus. Sed sine exceptione comminatur tamen omnibus. Ergo culpa originis rei dicendi sunt pueri.

65. Contra vero testimonium Davidis, *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum etc.* Haeretici dicunt, quod verba illa optime quidem intelligi possunt de peccatis parentum Davidis, et de peccatis suis actualibus; et praesertim ex quo non dicit David *in peccato*, sed *in peccatis.*

66. Verum quid ineptius? Nunquid ex illegitimo conjugio procreatus fuit David? Sed quomodo loqui potest de suis culpis actualibus, si loquitur ibi David de sui conceptione, *et in peccatis concepit me Mater mea?* Nec refert, quod plurali potius, et non singulari numero loquitur. Etenim peccatum originale est fons, et origo omnium peccatorum. Quippe per illud appetitus sensitivus rebellavit a recta ratione, unde fomes, et causa omnium iniquitatum.

67. Ad testimonium vero Apostoli ad Romanos: *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit etc.* (§. 59), dicunt Pelagiani, et post illos impiissimi Sociniani, quod Adam non nobis obfuit traductione sui peccati, sed potius suo exemplo, quod facile imitamur. Et pessimus Joannes Clericus ex verbis graeci textus *Ephy o pantes etc.* conatur hunc reddere sensum: *eo quod peccaverunt omnes.* Et pro-

pterea locum ipsum, dicit, pertinere non ad parvulos, sed adultos, qui ex Adae exemplo peccant.

ꝶ. Sed ut videant Pelagiani, et Sociniani, quantum a veritate aberrant, dicimus, quod Apostolus in allato testimonio antithesim instituit Christum inter, et Adamum, et praecisis verbis dicit, peccatum invectum fuisse in mundum per Adamum, sicut per Christum invecta est justitia. *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores instituti sunt multi* (omnes), *ita et per unius obedientiam justi constituuntur multi.* Sed Christus non profuit nobis exemplo, sed reipsa sua morte nostram justificationem operatus est. Ergo ita pariter Adam non exemplo obfuit, sed reipsa sua inobedientia, mortis reos constituit omnes suos posteros. Non negamus, quod exemplo quoque obfuit, quia filii facile imitantur exemplum parentum. Sed id verum est, postquam imitamur illius exemplum. Ast Adam solo suo peccato amisit sibi, et nobis originalem justitiam, et clausit omnibus Caeli januam; sicut sola sua morte Christus omnibus pariter aperuit. Sed ut magis id pateat, dicant Pseudophilosophi Sociniani: Si exemplo tantum nobis obfuit Adam, cur Apostolus id solum tribuit Adae, et non etiam Angelis rebellibus; quinimo et Hevae, qui prius peccaverunt?

68. Ad impiissimum Joannem Clericum respondemus, quod impudenter fallere conatur. Etenim constat inter graecae linguae peritos *Ephy* non raro sumi pro *En*, ex quo habemus sensum. *In quo omnes peccaverunt*; non vero: *Eo quod omnes peccaverunt.* Sed et quomodo in sententia *Clerici* omnes ex Adae exem-

plo peccaverunt? Nunquid parvuli quoque peccant? Sed adde, quod ex Apostolo per Adae peccatum mors intravit in mundum. Ergo si ex exemplo Adae homines peccant, illi tantum morirentur, qui Adae exemplum imitarentur. Sed moriuntur quoque parvuli, qui expertes sunt omni sui propria culpa. Ergo moriuntur, quià revera in illos transfusa est culpa primi parentis Adae.

69. Sint nunc argumenta positivà Haereticorum. Itaque sic ipsi argumentantur. Apostolus ad Romanos cap. V. v. 19 scribit: *Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi*. Ex quibus sic. Si Adae peccatum in posteros transfunderetur, profecto in omnes transfundi deberet; nulla enim esset ratio, cur tanta poena, sine propria culpa, nonnulli afficerentur, nonnulli vero non ita. Sed ex doctrina Apostoli propter inobedientiam Adae non omnes peccatores constituuntur. Ergo non revera originale peccatum transfunditur, sed potius ex exemplo ipsius Adae multi homines fiunt peccatores.

℟. *negand. min.* In allato Pauli testimonio vox *multi* intelligenda est pro omnibus. Id clare constat ex contextu parallelo ejusdem Apostoli, qui ℣. superiori dicit. *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitae.* Ergo si clare hic asseritur, omnes homines justificari per Christum, sicut omnes perierunt per Adam, cum subdit in ℣. sequenti: *Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi*, vox *multi* intelligenda est pro *omnibus*: quasi dicere voluerit: Qui *omnes sunt quidem multi*.

70. *C.* Atqui allatum Apostoli testimonium intelligendum est de multis, non vero de omnibus. Ergo etc. *Prob. min. subs.* Apostolus, ex responsis, antithesim instituit inter Adam, et Christum, et dicit, quod sicut per Adam homines constituuntur peccatores, ita per Christum constituuntur justi. Sed per Christum multi, non vero omnes, constituuntur justi, quia non pauci nihilominus pereunt. Ergo sic pariter per Adam multi, non vero omnes, constituuntur peccatores; illi tantum scilicet, qui illius exemplum sectantur. Et idcirco Apostoli testimonium etc.

℟. *dist. min.* Per Christum multi, non omnes, constituuntur justi, ex defectu hominum, concedo; ex defectu Christi, *nego min. et cons.* Deum voluntate antecedenti vere, et sincere velle salutem omnium, et Christum pro omnibus mortuum esse, ut sic pro omnibus Divinae Justitiae plene faceret satis, jam demonstravimus, et vindicavimus lib. III. n. 98; et sequentibus, et confirmabimus, si Deo placuerit, cum sermo erit de Divini Verbi Incarnatione, et de Gratia Christi Redemptoris. Itaque pro certo hic ponimus, Christum pro omnibus plene satisfecisse Justitiae Divinae: quod si non omnes salvantur, id evenit ex defectu hominum, qui suis operibus non respondent Divinae Gratiae. Unde dicebat D. Thomas in caput V. ad Romanos lect. V., quod sicut omnes homines, qui nascuntur carnaliter ex Ada incurrunt damnationem per ejus peccatum, ita omnes, qui renascuntur spiritualiter per Christum, adipiscuntur justificationem vitae. Sed superflua sunt ista omnia momenta, quoniam in versu antecedenti, ut dixi-

mus, aperte, et praecisis verbis Apostolus dicit, omnes omnino perire per Adae peccatum: *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem etc.*

71. *C.* Atqui ex antithesi, quam Apostolus instituit Adamum inter, et Christum, clare deducitur, non omnes in Adam interire, sed multos solum, et hos quidem non ex vera transfusione culpae illius, sed ex pravo exemplo ejusdem. Ergo n. r. *Prob. min. subs.* Etsi concedatur, quod pro omnibus Christus Divinae Justitiae fecerit satis, non omnes tamen salvi fiunt, sed illi dumtaxat, qui propriis operibus cooperantur. Ergo sic pariter illi solummodo in Adam peccant, qui suis operibus ejus exemplum sectantur. Et propterea ex antithesi etc.

℞. In hoc maxime resplendit Dei Sapientia, et Bonitas, ut cum ipse sit unicus auctor omnium, quae habemus, ita tamen voluerit nostram aeternam salutem, et conferens omnia media, et auxilia sufficientia, tam naturae, quam gratiae, illam tamen posuerit in nostra libertate, qua recte utentes, quasi pro meritis, assequeremur. Multi nihilominus ingrati hujusmodi inextimabili dono libertatis abutuntur; et propterea Redemptionis, quam pro omnibus Christus operatus est, fructum non obtinebunt. Ast non ita sermo est de Adae peccato. Sua pariter infinita bonitate gratis Deus voluit impertiri et Adae, et omnibus illius posteris donum inextimabile Justitiae Originalis, qua appetitus sensitivus rationi, et ratio Divinae Voluntati placide obediret: et id quidem non absolute, sed sub data conditione, si libere scilicet servasset praeceptum de non eden-

do fructu arboris scientiae boni, et mali. Libertate abusus est Adam: et merito propterea ipse, et posteri ejus omne jus ad promissum donum amiserunt. Nunquid in hoc Divina justitia laeditur? Nullimode certe, quia non ex meritis, et justitia, sed ex vera liberalitate, illud donum, sub conditione, promiserat Deus. En ergo magnum discrimen inter peccatum Adae, et Redemptionem a Christo operatam. Ibi omnes reipsa ad originalem justitiam, quia donum illa erat gratis omnino promissum, et quidem non absolute, sed sub data conditione, nullum jus habebant: et hic omnes quidem amissum jus acquirere possunt per Baptismi lavacrum: et nihilominus, Baptismo recepto, non omnes salvi fiunt; quia ad salutem, praeter Christi Redemptionem, requiritur quoque libera cooperatio ex parte hominum interiori gratiae, quam nulli denegat Deus. Et in hoc pariter resplendit Divina bonitas, quia cum ipse sit, qui per Redemptionem, et gratiam omnia operatur, gloria tamen confertur hominibus quasi pro mercede, et corona illorum operum.

72. Instant Haeretici. Ex responsis non assequimur vitam aeternam, et beatam per Redemptionem Christi, nisi concurrat nostra libera voluntas cum bonis operibus factis sub auxilio gratiae. Ergo per antithesim Apostoli, eo magis ut Adae posteri incurrant mortem, necesse est, ut libera adsit illorum voluntas, cum operibus pravis. Et propterea sicut multi, et non omnes, reipsa assequuntur vitam per Christum; ita pariter multi, et non omnes, incurrunt mortem per Adamum, sed quidem illi tantum, qui ex exemplo illius delin-

quunt. Et requidem vera, magis decet Infinitam Dei Bonitatem conferre dona, et gratias sine nostris quibusvis meritis, quam punire, et quidem gravissima poena, omnes Adae posteros, quin vera voluntate ipsi cooperati fuerint propriis operibus. Et eo vel magis, quod habemus apud Ezechielem cap. XVIII. v. 20 *Anima, quae peccaverit, ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii: justitia justi super eum erit, et impietas impii erit super eum.*

Sed non est forsan morale axioma inter omnes Theologos Romanenses, et apud ipsam Romanam Communionem, quod non datur peccatum, nisi voluntarium? Sed quae voluntas nostra in peccato Adae, si non eramus existentes? Nec reponant assertores transfusionis adamiticae culpae, quod voluntas nostra unita erat cum voluntate Adae. Etenim quaero: quis conjunxit? Nunquid nos, qui non eramus? Si ergo Deus ipse conjunxit, et quidem sine ullo nostro consensu, quomodo debitores nos, si Adam defecit? Est lex Divina naturalis, cui Deus contradicere nequit, secus cum illi omnia sunt in actu, idem simul vellet et non vellet: est, inquam, lex naturalis, quod nullus respondere debet de conditione apposita in alieno contractu ab uno ex contrahentibus, sine proprio consensu; et eo vel magis si nec contractum ipsum scire potuerit. Ergo sine maxima laesione Divinae Justitiae non potest Adae peccatum transfundi in innocentes Adae posteros, sed in illos tantum, qui ejus imitantur exemplum.

*. Jam diximus, quod justitia originalis, quam Adae

Deus promisit, et per Adam omnibus posteris ejus, fuit donum mere gratuitum; quocirca potuit Deus conferre, et quidem absolute, et non absolute, sive sub quavis conditione. Placuit apponere conditionem, praeceptum scilicet obedientiae. Adam abutens maximo dono libertatis non servavit praeceptum, et propterea non verificata fuit conditio. Merito ergo pro peccato proprio, inobedientia scilicet legi Dei sui vere Domini, et Legislatoris; et pro se, et omnibus simul posteris justitiae originalis donum amisit, et quodcumque jus ad aeternam vitam beatam. Ubi, quaeso in hoc aut injustitia, aut nimia severitas, ex parte Dei? Nunquid tenebatur ipse hujusmodi donum conferre hominibus? Sed et de quo conqueri possunt Adae posteri? Certe nullum ipsi habebant jus ad tale donum; et idcirco nullo jure lamentari possunt, si illo ab optimo Deo privati sunt. Interim praeter humanam spem, nostri miseratus est Deus, et per Incarnationem Divini Verbi illud amissum donum nobis restituere dignatus est: quin etiam propriis cujusque culpis remedium efficax voluit praebere, et sic omnibus Caelorum aditum aperire. Maximum donum!! Sed et huic quoque, et quidem pro nostro majori bono, apposuit conditionem (pro adultis tantum), nostram scilicet cooperationem. Quid? Cur non stat Pauli antithesis? Justitia originalis, et Redemptio, utraque procul dubio est gratuitum Dei donum. Merito propterea utrique apposita fuit conditio. In illa conditio verificata non fuit. Merito illam amiserunt omnes. Per istam omnibus pariter per Christum facta est potestas assequendi caelestem gloriam. Sed sub conditione pariter, ut quis, quantum

ex parte sua potest, propriis operibus respondeat gratiae Redemptoris. Sed multi, at non omnes, respondent. Ergo multi, sed non omnes, Redemptionem assequentur. Videant ergo Haeretici, quod conditio pro dono justitiae originalis facta fuit soli Adae pro omnibus: et conditio pro assequenda Christi Redemptione facta est cuique, dum ad aptam aetatem pervenerint. Quocirca non mirum, si deficiente solo Ada omnes perierunt; sed multi, ast non omnes, assequentur Redemptionem, quae ex parte Dei facta est pro omnibus.

Ad testimonium Ezechielis, scilicet: *Anima, quae peccaverit, ipsa morietur etc.* dicimus, quod Ezechiel loquitur de peccatis actualibus, et propriis; et inde de poenis positivis, quae juxta legem debentur cuique delinquenti, quibus criminibus cum nihil influant nec filii pro suis parentibus, nec parentes pro filiis, idcirco contra justitiam esset, si alii pro aliis poenam subirent, quia ubi nulla malitia, et voluntas, ibi nulla culpa propria esse potest. Sed aliter res se habet, cum de peccato originali loquimur. Hic enim agitur de gratia, et dono omnino gratuito. Agitur de justitia originali, et de aeterna vita beata, ad quae nec Adam, nec ejus posteri ullum jus habebant. Quapropter nulla laesio Divinae Justitiae si sub conditione, et quidem uni Adae pro omnibus facta, Deus haec promisit. Et nulla pariter injuria habetur, si non verificata conditione, posteri etiam, qui nullum obicem ex parte sua posuerunt, iisdem donis privabuntur. Et ratio est (iterum, atque iterum dico), quia agitur de gratia, et dono, non vero de justitia. Et requidem vera: Nunquid injustum dicemus Principem, qui promissa non ser-

vat, quae ex sola benificentia sub conditione fecit alicui subdito, et omnibus illius posteris, si conditio verificata non fuit, et quidem ex culpa subditi?

73. Sed dicunt adversarii. Durum nimis videtur, ut omnes Adae posteri pereant: ut propter peccatum alterius afficiantur morte aeterna. Etenim ad haec respondetur, quod merito omnes dicuntur perire, et aeterna morte affici, quia revera priventur vita mortali, et etiam aeterna felicissima vita, et clara Dei visione. Verum quodnam jus ad ista omnia habebant? Nonne ipsa dona sunt omnino gratuita? Certo quamvis illis privantur, semper tamen debitores sunt Deo de gratis accepta existentia. Sed ex non afficientur quoque poenis positivis, aeternis scilicet cruciatibus, et igne inextinguibili, qui paratus est Diabolo, et Angelis ejus? Non crederem cum clarissimo Joanne Perrone par. III. cap. IV. de pec. Orig. prop. III. praesertim n. 464. Verum si in tota vita, immunes se servarent ab omni gravi culpa actuali, sive propria. Sed id videbimus infra, cum contra Augustinienses, sermo erit de futura sorte puerorum, qui decedunt sine Baptismo. Adam certo, nisi triumphasset Dei Misericordia, qua placuit hominem redimere, praeter poenam communem omnibus, quae licet gravissima sit, tamen negativa potius, scilicet privatio inextimabilium bonorum, dici debet, quam positiva: Adam, dico, utramque poenam solvisset, negativam scilicet, et positivam, damni scilicet, et sensus. Et sic pariter illi omnes sui posteri, qui illius exemplum fuissent imitati. Amisissent omnia dona terrena, et caelestia, et aeternis cruciatibus fuissent ad-

dicti: eodem quippe ferme modo, quo damnantur omnes; qui dono Redemptionis abutentes propriis culpis Deum offendunt.

74. Variae aliae quaestiones hic ventilari solent, et circa naturam peccati originalis, et circa modum, quo in omnes transfunditur, et praesertim circa sortem parvulorum, qui sine Baptismate ex hac vita decedunt. Circa modum, quo transfunditur, nonnulli, et quidem non parvi nominis Theologi, rejicientes pactum Deum inter et Adamum, ad hanc inclinant sententiam, ut asserant, quod ex concupiscentia, quae est effectus peccati originalis commaculatur foetus in generatione et ex maculato foetu commaculatur quoque anima, quae illi a Deo infunditur.

75. Sed quae macula ista? Num Adae malitia trasfunditur in semen omnium posterorum, ut maculatus inde fiat omnis Foetus? Sed quomodo macula ipsa communicatur animae spirituali? Eccur rejicitur sententia pacti, in quo sensu hactenus diximus? Nonne revera Deus legem, sive pactum, praescripsit Adae, ut si ederet vetitum fructum, justitiam amitteret originalem, et mortem incurreret terrenam, et aeternam, et quidem cum omnibus posteris suis? Quid ergo macula corporea, ex qua deinde macula spiritualis? Non servavit pactum Adamus. Ergo quivis homo gignitur, subjicitur consequentiis, quae fluunt ex defectu justitiae originalis, et nullam spem habet pro aeterna vita beata, id quod optime dicitur mors aeterna, quia privatio vitae est mors.

76. Quoad vero naturam peccati originalis, Illyricus Lutheranus (quis crederet?) non dubitavit asserere, il-

lud esse malam, et perversam substantiam non a Deo, sed a Diabolo, qui hominis substantiam, etsi de novo non fecerit, in deterius tamen commutavit. Confutatione digna non videtur hujusmodi Illyrici sententia.

77. Catharinus, et nonnulli alii tuentur, esse ipsum Adae peccatum nobis imputatum. Sed quomodo simpliciter imputatum, si Tridentina Synodus sessione V. decrevit, quod *inest unicuique proprium* ?

78. Lutherus autem cum suis sectatoribus dicit, peccatum Originis esse ipsam concupiscentiam. Quocirca cum haec remaneat in homine, etiam post susceptum Baptismum, inde originem duxit suus error de non vera remissione peccatorum, sed de sola non imputatione. Itaque contra Haeresiarcham istum sit nostra Catholica.

PROPOSITIO XI.

Peccatum Originis confundendum non est cum concupiscentia, quae est illius effectus.

79. *Prob.* breviter. Vel Lutherus intelligit concupiscentiam actualem, vel habitualem, seu fomitem. Sed neutra esse potest peccatum originis. Ergo peccatum etc. *Prob. min.* Et quidem primo. In parvulis nondum Baptismate ablutis utique quidem est peccatum originale. Sed ipsi concupiscentiae non sunt capaces. Ergo originis peccatum non est idem, ac concupiscentia actualis. Secundo. Si idem peccatum esset concupiscentia habitualis, sive fomes, profecto ablato peccato, auferri quoque deberet fomes. Sed in adultis baptizatis, aufertur pecca-

tum, et remanet concupiscentia habitualis, sive fomes. Ergo peccatum originale nullimode confundi debet cum concupiscentia, quae est effectus illius.

Solvuntur Lutheri objectiones.

80. Per Baptismum non revera tollitur originale peccatum, sed solum fit, ut non imputetur. Ergo propterea, quia semper revera habetur peccatum, semper quoque habetur fomes, quae idem est, ac peccatum non imputatum.

℟. Sine ullo prorsus fundamento, ad arbitrium Lutherus asserit, per Baptismum originale peccatum non revera auferri, sed tantum fieri, ut non imputetur. Etenim Joannes in Epist. 1 cap. III. v. 5 Scribit. *Scitis, quia ille apparuit, qui peccata nostra tolleret.* Et Praecursor, ut habemus in Evangelio Joannis cap. I. v. 29 dicebat de Christo *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Si ergo per Christum peccata tolluntur, quomodo ipsa semper remanent, et solum non imputantur? Tandem, nonne Apostolus Paulus in suis epistolis frequenter admonet, nos ablui, sanctificari, justificari, et nihil damnationis superesse iis, qui in Christo baptizati sunt? Ergo per Baptismum revera originale peccatum penitus tollitur: et propterea confudendum non est cum concupiscentia, quae ut effectus adhuc remanet, et quidem, ut dicunt Patres, ad agonem.

81. *C.* Atqui originale peccatum non tollitur per Baptismum, sed tantum fit, ut non imputetur. Ergo etc. *Prob. sub.* Apostolus ad Rom. cap. VII. v. 7 ait: *Pec-*

catum non cognovi, nisi per legem: nam concupiscentiam nesciebam (esse peccatum) , *nisi lex diceret: Non concupisces.* Ergo Concupiscentia est peccatum. Sed post Baptismum remanet concupiscentia habitualis in pueris , et actualis in adultis. Ergo originale peccatum etc.

℟. Apostoli testimonium non intelligendum est de simplici concupiscentia , ut est fomes et incitamentum ad peccandum , sed de concupiscentia actibus voluntatis consumata , vel saltem de concupiscentia , quae est occasio peccandi, non vero ipsum peccatum. Secus enim cum concupiscentia accepta, ut simplex fomes , sit in omnibus , et sine nostra voluntate , injustus esset Deus praecipiens, quod nullimode esset in nostra potestate.

82. *C.* Atqui allatum Apostoli testimonium intelligendum est de concupiscentia, quae est verum peccatum, non vero , quae est fomes , et incitamentum ad peccatum. Ergo etc. *Prob. subs.* Apostolus ibidem v. 16 et sequentibus clarius suam aperiens sententiam dicit : *Si autem quod nolo , illud facio : consentio legi, quoniam bona est. Nunc autem jam non ego operor illud , sed quod habitat in me peccatum, scio enim, quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum.* Sed hic loquitur de vero peccato. Ergo et ibi etiam concupiscientia intelligenda est pro vero peccato, et non alio quidem , nisi originali.

℟. *Neg. min.* Et hic quoque Apostolus loquitur de effectibus , originalis peccati , de corruptione scilicet humanae naturae , de pugna inter carnem , et spiritum , de concupiscentia , ut est fomes , et incitamen-

tum ad peccatum, non autem de vero peccato formali. Id evidentissime patet ex verbis, quae immediate sequuntur v. ultimo: *Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Igitur ego ipse mente servio legi Dei: carne autem legi peccati.* Ecquis enim dicet, formale peccatum esse in carne, et non in mente? Sed Apostolus dicit, se mente servire Deo, carni autem legi peccati. Ergo in allato cap. ad Rom. loquitur de pugna inter carnem, et mentem; scilicet de concupiscentia, ut est incitamentum ad peccatum.

83. Tandem Lutherus urget nos auctoritate D. Augustini, qui in libro contra Julianum cap. III sic scribit: *Concupiscentia carnis, adversus quam bonus concupiscit Spiritus, peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis, et poena peccati est, quia reddita est mentis inobedientis, et causa peccati defectu consentientis, vel contagione nascentis.* Ergo ex Augustino concupiscentia est peccatum propter inobedientiam.

℟. Frustra Lutherus invocat auctoritatem D. Augustini. Quippe adducta verba Augustini nullatenus accipi possunt de concupiscentia, veluti peccato formali, sed solum veluti effectu originalis peccati, et veluti incitamento ad peccandum. Etenim in allato testimonio concupiscentia dicitur *poena peccati, quae reddita est merito inobedientis, et causa peccati.* Quod autem haec sit constans Augustini sententia, patet ex libro *de Nuptiis, et concupiscentia* cap. XXIII. ubi ait; se vocare peccatum, concupiscentiam, non quod peccatum sit; sed quia facta peccato. Et subdit: *Si autem vocatur pec-*

catum, quia peccato facta est ... Sicut vocatur lingua locutio, quam facit lingua. Itaque triplici ratione Augustinus nominat concupiscentiam peccatum, scilicet ut factam a peccato, ut peccati poenam, quia per Adae praevaricationem inducta est, et ut peccati causam, quia ad illicita nos impellit. Ergo favet potius, quam obest nostrae causae maximus Doctor Augustinus.

84. Plura alia de peccato originali quaeri, et investigari solent a Theologis. Et quidem primo, quaeritur, num in omnes omnino transfusum sit; an vero, praeter Redemptorem Christum, excipi quoque debeat illius Beatissima Mater Virgo Maria. II. In quo peccatum istud consistat. III. quo pacto traducatur. Tandem, quae futura sit sors parvulorum, qui sine Baptismate decidunt. De primo, juvante Deo, longiorem sermonem rei dignitate instituemus in lib. de Divini Verbi Incarnatione, quoniam omne privilegium Mariae, illi obtigit, ex quo fuit vera Mater Dei. Hoc unum modo dicimus, quod si illa fuit vera Mater Redemptoris, videtur potius numeranda in ordine humani generis reparationis activae, quam passivae. Si vere subministravit Verbo corpus, quo in unitate personae assumpto, Verbum humanitatem redemit, abhorret nostra mens vel tantum cogitare, illam communi labe fuisse affectam.

85. Ad secundum, jam ex supra dictis satis patet, quae sit nostra sententia. Sed non piget clarius aperire. Pro sua bonitate Deus, ut nostra fierent, quae sunt sui solius dona, legem praescripsit Adae, ut si servaret praeceptum de non edende fructu arboris scientiae boni, et mali, ipse cum suis posteris fruiturus esset justitia

originali, qua, praeter amicitiam cum ipso Deo, placide, sine pugna inter carnem, et spiritum, illi serviret, et quasi inde verum jus adquireret ad aeternam gloriam, et beatissimam visionem Dei. Quod si non servaret hujusmodi praeceptum, tam ipse, quam posteri ejus omne promissum donum essent amissuri. Non servavit praeceptum Adamus. Ergo reus inobedientiae ipse factus est, et propterea dignus quoque aeternorum suppliciorum: et posteri originalem justitiam, cum caeteris promissis donis amiserunt. Et ecce in ipsis sensus rebellati a recta ratione; ecce perennis, et obstinata pugna inter carnem, et spiritum; et ecce amissum omne jus ad aeternam gloriam, et claram visionem Dei. Maximum sine dubio infortunium, et merito appellatum mors aeterna, quia privatio vitae est mors! Sed nulla tamen injuria illis facta est, quoniam agitur de donis omni respectu gratuitis. In quo ergo consistit hujusmodi peccatum originale? Satis ex dictis patet responsio. Ad illaesam servandam Dei justitiam, nobis videtur, quod nulla vere positiva poena, sive sensus, et quidem adeo atroci, ut melius esset filiis Adae si non nascerentur, iidem digni sunt pro solo Protoparentis peccato: et id, quia in nihilo voluntate personali deliquerunt. Sed revera digni facti sunt poena negativa: hoc est maximo dono expertes nascuntur, justitia scilicet originali, ex quo subjiciuntur pugnae, ut diximus, inter carnem, et spiritum; morti facti sunt subjecti, nullum jus habent ad caelestem gloriam, et Dei beatissimam fruitionem, et nulla gaudent Dei amicitia; et ut brevi omnia amplectamur, omnia damni mala incurrunt, dummodo tamen

immunes se servabunt ab omni culpa propria, et actuali, secus poenis quoque positivis subjicerentur.

Objectio unica.

86. In Adae voluntate inclusae erant voluntates omnium hominum. Ergo sicut Adam positive peccavit, et positivis poenis, praeter negativas, reus factus est, ita etiam omnes illius posteri.

℟. Ad positivum peccatum, ni laedere velimus Dei justitiam, et infinitam bonitatem, requiritur vera, et positiva voluntas. Etenim est universale axioma morale, nullum dari peccatum, nisi voluntarium. Sed cum Adam peccavit, non existebant ejus posteri. Ergo isti non positive, sive personali voluntate peccaverunt: et propterea sub justissimo Judice Deo nulla vere positiva poena digni esse possunt. Concedimus utique, quod ad vere positive peccandum non semper requiritur actualis, et directa voluntas; sed sufficit, ut fuerit aliquando, ex quo postea habetur effectus, aut fuerit in causa. Sed quomodo ista in posteris Adae, qui non existebant? Dicimus tamen, quod peccaverunt, et quod in ipsos vere transfunditur Adae peccatum; sed tantum quoad privationem donorum, ad quae nullum jus habebant, ut quae non ex justitia, sed ex sola Dei bonitate; adpromissa fuerant sub conditione, si Adam Dei praeceptum servaret. Vere igitur transfunditur in omnes Adae peccatum, quia omnes nascuntur expertes dono justitiae originalis: omnes subjiciuntur morti corporis: et omnes etiam recte dicuntur subire mortem aeternam, quia privabuntur aeterna vita

beata, et felicissima Dei visione. Sed quod tuemur illud est, quod afficiuntur sola poena damni, non vero sensus.

87. Ex dictis patet quoque responsio ad tertiam quaestionem (§. 84) quomodo scilicet in Adae posteros transfundatur originale peccatum. Deus Adae, et toto futuro humano generi, inextimabile justitiae originalis donum adpromisit, et simul aeternam vitam beatam, si ille praeceptum servasset de non edendo fructu scientiae boni, et mali. Adam praeceptum non servavit. Ergo, praeter propriam inobedientiae culpam, originali justitia, et omnibus caeteris promissis donis, fuit destitutus. Et consequenter statim ac rationalis anima foeto unitur in utero materno, et novi homines excitantur Adae posteri, nullum isti jus habent ad originalis justitiae donum, et omnibus subjiciuntur incomodis, quae ex ista destitutione sequuntur.

88. Nec ullum facessit negotium, quod per humanam generationem ab Adam traducitur corpus, non vero anima, et peccatum afficit animam, et tunc quidem, cum erit voluntarium. Etenim statim ac animae ratione praeditae corporibus infunduntur, habentur homines, et quidem Adae posteri, qui juxta conditionem a Deo appositam in conferendo justitiam originalem, et promittendo caetera dona, nullum jus habent ad ista omnia. Nec ulla injuria illis affertur, ex quo illorum voluntas non personaliter concurrit ad Adae peccatum, quia sermo est de amissione juris ad Dei dona mere gratuita, non quae ad justitiam pertinent.

89. Sed quid dicendum de ultima quaestione (§. 84),

de pueris scilicet, qui sine baptismate ex hac vita decedunt? Duae sunt hac super re in Scholis sententiae, altera Augustiniensium, et altera Thomistarum. Illi pugnant tam pro poena damni, seu exclusione a beatifica Dei visione, quam pro poena sensus, sive igne infernali, irroganda parvulis, qui Regenerationis sacramentum non receperunt, etsi tamen Aug. dum passim docet Infantulos, ad ignem aeternam damnari, in Enchirid. in lib. V. contra Julianum, et alibi, declarat eosdem *in damnatione omnium levissima* futuros. Thomistae, S. Bonaventura, Scotus, et ingens antiquorum numerus, et recentissimus Joannes Perrone tuentur, parvulos istos sola beatifica visione privatum iri. Et hanc ipsam sententiam videtur non reprobare Jacobus Tirinus in suis Comment. ad Epist. Pauli ad Rom. cap. V. v. 16. ubi de Adae peccato ait: *Nam judicium quidem, graece γριμα idest reatus, ex uno Adami peccato fluxit in condemnationem omnium etiam parvulorum, saltem quoad poenam damni.* Hanc ipsam esse sententiam nostram, jam plusquam satis aperuimus. Sed nonnulla hinc inde placet afferre momenta. Et propterea sequens sit nostra.

PROPOSITIO XII.

Probabilius videtur, animas puerorum, qui sine Batipsmate ex hac vita decedunt, sola poena damni, non autem sensus, fore plectendas.

90. *Prob.* Apostolus II. ad Corinth. cap. V. v. 10. scribit: *Omnes nos manifestari oportet, ante tribu-*

nal Christi ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. Sed infantes nec bonum, nec malum operati sunt. Ergo ante Tribunal Christi non sistent. Ergo nulla in ipsos proferetur sententia, neque praemii, neque poenae positivae, scilicet sensus. Et propterea afficientur sola poena damni, amissionis scilicet aeternae gloriae.

91. *Prob.* II. Theologica ratione. Sub justissimo Judice, ut est Deus, nequidem cogitari potest, ut quis veris poenis sensus damnetur, sine culpa vera, propria, et voluntaria. Sed infantes nulla hujusmodi culpa rei dici possunt. Ergo nulla vera poena sensus possunt damnari. Neque valet dicere, quod voluntas illorum continebatur in voluntate Adae. Etenim quaero ab Augustiniensibus, qua ratione in voluntate Adae continebantur, et cujus placito, sui ne, vel Dei? Procul dubio non suo, quia non existebant, sed solius Dei. Ergo non voluntate sui vera, et propria in voluntate Adae peccaverunt: et propterea nulla vera poena sensus affici possunt. Quod si verum est, quod ex sola voluntate Dei, illorum voluntas reposita fuit in voluntate Adae, tunc dicimus, quod nulla alia ratione id fieri potuit, nisi pro assequendo aliquo dono mere gratuito, ad quod nullum jus habebant. Ergo animae infantium liberae a poena sensus, afficientur sola poena damni, quae consistit in amissione fruitionis Dei in gloria caelesti, ad quam nullum jus habebant.

Solvuntur objectiones.

92. Sed dicunt Augustinienses. In extremo Judicio, juxta Evangelium Matth. cap. XXV. v. 33. duo tantum erunt ordines judicandorum, quorum alter, qui sedebit ad dexteram, mittetur ad gloriam Coelorum, et qui erit ad sinistram, cum maledictione destinabitur ad ignem aeternum: et praeterea nullus alius erit ordo, nullus alius status medius. Sed nullus dixerit, infantes fruituros esse gloria coelesti, quoniam aditus ad illam aperitur per solum Baptismum. Ergo ad ignem aeternum destinabuntur.

℟. Matth. testimonium intelligendum est de solis adultis, qui secum habent propria merita, aut demerita. Et requidem vera Matthaeus ipse ibidem v. 35 rationem reddens Christi sententiae tam pro electis, quam pro reprobis, enumerat illorum opera aut mala, aut bona, dicens: *Esurivi enim, et dedistis mihi manducare: sitivi, et dedistis mihi bibere: hospes eram, et collegistis me: nudus, et cooperuistis me etc.* Et similiter v. 41. *Tunc dicet his, qui a sinistris erunt. Discedite, a me maledicti in ignem aeternum . . . Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare. Sitivi, et non dedistis mihi potum etc.* Sed infantes nec bonorum, nec malorum operum personalium fuerunt capaces. Ergo dicendum, quod ad illos non pertinet allatum Matth. testimonium de extremo judicio. Quinimo mirifice idem favet nostrae sententiae. Etenim si nec meriti, nec demeriti digni sunt ex propriis ope-

ribus, consequenter nec in caelestem gloriam recipientur, nec igne aeterno cruciandi damnabuntur.

Et haec dicta sint de creatione hominis. Progrediamur nunc ad creationem Angelorum.

PARS III.

DE CREATIONE ANGELORUM.

93. Angeli vocabulum nomen esse officii, non vero naturae, docemur a Maximo Doctore Augustino in psalmum 103. Ipsi ergo, juxta nostram intelligentiam, nonnisi genericum spiritus nomen habent; et dicuntur Angeli, seu missi, cum ad aliquod officium a Deo destinantur. Tribuitur etiam illis aliquando in Scripturis nomen proprium: sed istud sumitur ex natura officii, ad quod a Deo sunt destinati. Pauca certa de Angelis novimus: propterea brevissimus erit de illis sermo.

Et quidem primo vindicabimus illorum existentiam. Secundo loquemur de ipsorum differentia, et numero. Tertio de eorumdem cognitione, locutione, et lapsu. Tandem aliqua dicemus de ordinibus, et ministerio ergo homines.

CAPUT I.

De Angelorum existentia, et natura.

94. Angelorum existentiam negarunt in Veteri Testamento Sadducaei contra manifesta oracula Scripturarum.

Eamdem inter Christianos inficiati sunt Thomas Hobesius, Baltassar Beke, aliique Spiritualium Substantiarum osores. Contra omnes itaque sit

PROPOSITIO XIII.

Existunt Substantiae Spirituales, quae communiter Angeli vocantur.

95. *Prob.* In Psalmo II. v. 21 et seq. habemus: *Benedicite Dominum, omnes Angeli ejus potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendum vocem sermonum ejus. Benedicite Dominum, omnes Virtutes ejus, qui facitis voluntatem ejus.* Ex quibus sic: Ex Scripturis Angeli dicuntur potentes virtute, qui faciunt Dei jussa, qui audiunt vocem Dei, qui sunt Dei Ministri. Sed istae proprietates, et munera, nonnisi veris substantiis convenire possunt, et nullimode spectris: nec exponi possunt de Dei potentia, uti volebant Sadducaei. Etenim nec spectra Dei Ministri sunt, aut audientes vocem illius: nec Dei potentia dici potest ministra ejusdem, aut quae ejusdem voluntatem impleat. Ergo etc.

96. Deinde Genesis cap. XIX. Angeli dicuntur sub humana specie venisse Sodomam, et hospitati apud Lotum nepotem Abrahae: item eduxisse secum Lotum cum uxore, et filiabus: et tandem urbem flammis delevisse. Sed ista nec species in aere apparentes, seu ludicra, nec praestigia, nec spectra, nec signa Dei potentiae hominibus manifestatae dici possunt. Ergo ex Scripturis constat, revera existere Angelos.

Solvuntur Objectiones Sadducaeorum.

97. Si existerent Angeli Substantiae Spirituales, profecto Moyses, qui in Genesi cuncta describit, quae Deus creavit, de illis quoque mentionem facere debuisset. Sed nihil omnino Moyses dicit de Angelis. Ergo etc.

Ad allatum argumentum respondemus cum plurimis Sanctis Patribus. Et quidem Doctor Augustinus libro secundo *de Civitate Dei* cap. IX dicit, quod Moyses mentionem fecit Angelorum sub nomine Caeli, et lucis. Joannes Chrysostomus homil. secunda in Genesim dicit, quod ea de causa expresse non locutus est Moyses de creatione Angelorum, quia loquebatur ad Hebraeos, qui ad idolatriam erant proclives, et periculum erat, ne Angelos, veluti Deos, adorarent, et invocarent. Hieronymus in Epist. 139 dicit, quod ideo Moyses in descriptione creationis rerum praetermisit Angelos, quia sibi propositum erat describere hunc mundum corporeum, et visibilem, cujusmodi non sunt Angeli. Et haec videtur probabilior sententia. Ergo nihil officit nostrae thesi silentium servatum a Moyse in descriptione creationis Mundi. Et eo vel magis, quod satis clare de illis mentio fit in aliis Scripturis, ut dictum est in probationibus.

98. *C.* Atqui Moyses ideo in Genesi, ubi mundi creationem describit, mentionem non facit de creatione Angelorum, quia revera Angeli, in quo sensu accipiuntur, creati non fuerunt. Ergo etc. *Prob. min. subs.* Geneseos cap. VI. v. 2, et 4, juxta graecam Versionem,

Angeli dicuntur accepisse sibi uxores ex filiabus hominum. Sed ducere uxores nullo modo convenire potest substantiis. Ergo etc.

℟. Angeli, qui Geneseos cap. VI. juxta Vulgatam Latinam dicuntur *Filii Dei*, et juxta Versionem Graecam appellantur Angeli, et dicuntur sibi accepisse uxores de filiabus hominum, non sunt veri Angeli, de quibus loquimur, sed filii Patriarcharum, sic dicti ob vitae sanctimoniam: sicut pro filiabus hominum intelliguntur puellae ex progenie Cain, qui fuerat vir scelestissimus. Optime idcirco nostra Vulgata illos dicit filios Dei, has autem filias hominum.

99. *C.* Atqui ideo in Genesi, cum sermo est de creatione Mundi, nulla fit mentio de creatione Angelorum, quia revera ipsi nusquam creati fuerunt. Ergo etc. *Prob.* Juxta doctrinam maximi Doctoris Augustini, *Angelus* est nomen officii, non vero proprium alicujus substantiae, vel melius, alicujus speciei substantiarum. Ergo nec existunt, nec unquam creati fuerunt.

℟. Concedimus libenter, nomen Angeli esse nomen officii, non vero alicujus substantiae individuae, aut speciei. Sed quis negabit, officium quodcumque nonnisi personae, substantiae, scilicet individuae, aut saltem speciei, posse tribui, et convenire? Ergo existunt substantiae individuae spirituales, quibus utitur Deus ad peculiaria munera exercenda, quas Angelos appellamus.

100. Quoad naturam vero Angelorum Petavius scribit, rem dubiam fuisse apud veteres Patres; alios sensisse esse substantias corporeas, et alios contra dixisse esse simplices et spirituales. Sed evanuit tandem lapsu tem-

poris dubium, et communis facta est sententia de immaterialitate Angelorum. Breviter nos hanc sententiam confirmamus. Et propterea sit

PROPOSITIO XIV.

Angelorum natura est simplex, et spiritualis, nec cum ulla corporea substantia conjuncta.

101. *Prob.* Ex Scripturis. In Psal. CIII. v. 4 legitur. *Qui facit Angelos suos Spiritus.* Item Apostolus ad Hebraeos cap. I. v. 14 ait. *Omnes sunt administratorii Spiritus.* Et apud Matth. cap. XII. v. 43 legimus: *Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida quaerens requiem, et non invenit.* Si ergo in Scripturis Angeli vocantur simpliciter Spiritus, dicendum, quod illorum natura est prorsus corporis expers.

102. His, aliisque Scripturarum textibus accedit, quod in Concilio Lateranensi IV. cap. *Firmiter* dictum est, Deum ex nihilo condidisse naturam spiritualem, et corpoream, angelicam scilicet, et mundanam. Fatemur quidem cum omnibus ferme Theologis, quod verba ista Concilii non statuunt fidei dogma, quia verae definitionis rationem non habent, sed declarant tamen, hanc esse doctrinam ab Ecclesia receptam. Itaque ab illa resilire temerarium esse, conveniunt omnes, praesertim Sylvius, Estius, et Laurentius Berti.

Solvuntur objectiones.

103. Quae opponi solent, sunt. I. In VII. Oecumenico Concilio recepta fuit sententia Joannis Thessalonicensis, qui dicebat, Angelos esse pingendos, eo quod corporei sunt. II. Ex lib. Tobiae habemus, quod jecur piscis a Tobiae filio positum super prunas profligavit Diabolum, ne noceret ipsi, et uxori ejus Sarae. Quomodo enim tam noxius Diabolo odor piscis, si corporis ille omnino fuisset expers? Tertio. Ex lib. I. Regum item habemus, quod David sono citharae compescebat Satanam, qui Saulem vexabat. Tandem, Nonne Angeli saepe in Scripturis dicuntur multa opera patrasse in mundo, vere fuisse locutos, luctasse etiam cum hominibus etc. Sed quomodo ista omnia, nisi verum corpus haberent?

℟. ad singula. Et quidem ad primum dicimus, quod a Concilio VII. Oecumenico adprobata simpliciter fuit sententia Joannis Thessalonicensis de pingendis Angelis: sed nulla discussio, nullum verbum factum fuit de ratione, qua id sit faciendum Joannes asserebat. Et quidem nonne illi iidem Patres in fidei professione proclamarunt. *Veneramur imagines Sanctorum, et incorporeorum Angelorum?*

Ad alterum respondemus: Eccur res corporea, praesertim ut signum virtutis divinae, non potest miros effectus producere in substantiis spiritualibus, sicut et contra? Nonne materia, et forma Sacramentorum mirabiles operantur effectus in animabus spiritualibus? Sed

et nonne in hac mortali vita Spiritus noster dolore, et laetitia, taedio, et gaudio a corpore afficitur? Ergo, ut per se patet, cum secundo ruit quoque tertium argumentum.

Quinimo ruit quoque ultimum. Etenim si spiritus noster immediate in nostro corpore, et mediate exterius multa operari potest, quid ni Angeli operari poterunt in hominum cerebro mutationes ejusmodi, quae respondeant actionibus factis in organis corporis, sensus tactus, auditus etc.; unde respondentes ideae ab hominibus efformentur? Et id maxime, si sic voluerit Deus naturae legum auctor? Mementote, Juvenes, quae in Psychologia diximus de commercio animam inter, et corpus.

104. Quaeri hic quoque solet a Theologis quo tempore a Deo creati fuerint Angeli: prius ne, an simul cum ipso mundo? Veteres Graeci Patres, innixi praesertim verbis, quae leguntur in libro Job cap. XXXVIII. et quidem v. *4. Ubi eras, cum ponebam fundamenta terrae?* Et v. *7. Cum me laudarent simul astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei?* propugnabant, Angelorum creationem praecessisse creationem mundi quoniam ex laudato testimonio jam erant, qui laudabant Deum, scilicet Angeli, cum terra creata fuit. Verum decursu temporis quasi communis facta est sententia opposita. Et ea praesertim ratione, quod quamvis supra allatum decretum Concilii Lateranensis IV. (§. 102): quod scilicet creati fuerint una simul cum mundo visibili, fidei dogma non faciat, quippe quod Patres non definiendo ita locuti sunt; tamen temerarium est ab illa recedere.

105. Sed si licet ingenue exponere quid hac super re sentiam, dico, quod vana prorus est hujusmodi quaestio. Et quidem convenit inter omnes, maxime recentiores Philosophos, quod successio sequitur naturam limitibus circumscriptam creaturarum. Sed successio, et tempus, unum, et idem sunt, ita ut ablata successione, non amplius haberi possit idea temporis. Ergo si Angeli sunt substantiae creatae, et finitae, procul dubio ex quo illi existere coeperunt, coepit quoque tempus. Sed in Scripturis mundus dicitur creatus in initio temporis. Ergo creatio Angelorum non potuit antecedere creationem mundi. Num vero primi creati fuerint, et priusquam crearetur terra, nihil sane hoc interest. Et eo vel magis, quod vere loquendo terra est mundi pars: et ideo cum toto mundo confundenda non est. Et quidem nonne in Genesi habemus. *In principio creavit Deus Coelum, et terram.* Ergo prius creatum fuit Coelum, et postea terra. Eccur itaque in creatione coeli fas non est includere creationem Angelorum? Et ita prorsus evanescit vis testimonii desumpti ex libro Job, quod superius allatum fuit.

CAPUT II.

De Angelorum differentia, et numero.

106. Tot, tantaque in scholis dicta sunt de Angelorum differentia, et numero, ut pudeat ad memoriam revocare. Melius profecto esset, si sequeremur hac in re

Doctorem Augustinum, qui sic scripsit in Enchyridio cap. LV. *Quomodo se habeat beatissima illa, et superna societas; quae illi differentia personarum: dicant, qui possunt, si tamen possunt probare, quod dicunt. Me ista ignorare confiteor.* Sed tamen sola curiositatis causa breviter dicemus, quae fuerit sententia Scholasticorum, et quid nobis videtur.

107. Itaque Thomistae defendunt, Angelos ita inter se specie differre, ut pugnet, plures numero solum discriminari. Scotistae ex adverso, et cum ipsis Laurentius Berti, contendunt, omnes Angelos solo numero distingui. Tournelius, et alii non pauci mediam viam tenent, et dicunt, Angelos alios numero, specie alios differre. Sed quod magis mirum mihi semper visum est, tanto studio quisque suam sententiam propugnat, quasi res magni momenti agatur. Sed libenter ego fateor, quod non intelligo, quibus rationibus sua asserta quisque tuetur: et videtur, quod quaestio, et tanta contentio ex eo originem ducit, quia quid sit species, non recte definierunt, et propterea de illius notitia inter ipsos non convenit. Ut igitur clare pateat, quid nos sentiamus, dicimus, quod individua cuncta, sive res existentes, praesertim quae vi cogitandi praedita sunt, etsi in multis differunt inter se, et quidem majori, vel minori, aut diverso modo cogitandi, vel exercitio etiam hujusmodi facultatis: id tamen non impedit, quominus in multis conveniant. Similitudo ergo istarum virium, proprietatum, cogitationum etc., est, quam dicimus speciem, sive classem. Species ergo recte definiri potest per complexum proprietatum, quae pluribus individuis sunt communes. In-

de sequitur, quod species est idea abstracta, quae in rerum natura non est quid reale per se existens, sed efformatur a nostra mente cogitante. Patet etiam, quod ubi est similitudo aliquarum proprietatum, et dissimilitudo aliarum, novae semper species confici possunt. Quapropter inter species, quas modo numeramus, novas alias possumus conficere: sive, quod idem est, illas in novas species possumus dividere, etsi priores communi vocabulo solemus dicere genera, et istas species.

108. Nunc quaero. Sunt ne Angeli in omnibus perfecte similes inter se et vi cogitandi, et amandi, et modo, et tempore, quo suas facultates exercent? Quis poterit scire! Nihilominus videtur, quod aliquo saltem modo inter se differre debent, alioquin omnes essent in omnibus perfecte similes, quod si non est impossibile, sicut contendebant nonnulli philosophi, est tamen valde improbabile. Et eo vel magis id verum est, quod Scriptura varios Angelorum ordines numerat. Sed quis negabit, in multis quoque illos convenire? Ergo Angeli differunt inter se numero, quia unus non est alter, et differunt quoque specie, quia variae concipi possunt proprietates pluribus communes. Sed si ex Scripturis varii numerantur Angelorum ordines, quomodo negari possunt variae illorum species? Nonne ordo est consensus in varietate? Ergo Angeli conveniunt inter se in aliquibus, dissentiunt in aliis. Ergo specie distinquuntur. Et requidem vera ordo, et species, si non sunt unum, et idem, saltem unum dari non potest sine altero. En quae sit nostra sententia. Et en resoluta tanta quaestio, et contentio.

109. Quoad vero numerum Angelorum, maximum illum esse, constat primo ex libro Job. cap. XXV. v. 3 in quo legitur: *Numquid est numerus ejus?* Quem locum communiter Patres exponunt de Angelis. Item ex cap. VII. Danielis v. 10 habemus: *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei.* Sed quotus sit iste numerus, non videtur nobis datum esse noscere.

110. Nihilominus S. Thomas opinatur, multitudinem Angelorum tantam esse, ut excedat res omnes corporeas. Nimis dura ipsis Thomistis videtur haec sui Praeceptoris opinio: quapropter interpretantur de speciebus tantum rerum materialium, et de omnibus hominibus individuis. Et Laurentius Berti non veritus est asserere, sibi videri, numerum Angelorum non excedere multitudinem hominum. Verum quidem, quod Auctor iste, in hac re, non sibi constare videtur. Etenim idem ipse dicit, unicuique a Deo datum esse Angelum custodem, et probabiliter quoque unicuique deputatum esse a Lucifero Angelum malum. Et item dicit, Angelos Custodes, et Daemones vigiles, esse de postremo ordine, seu choro. Si ergo ex uno choro tot Angeli, et tot Daemones, quot sunt homines, quomodo numerus Angelorum non excedit multitudinem hominum?

CAPUT III.

De Angelorum cognitione, locutione, et lapsu.

111. Etsi conveniat inter omnes Theologos, magnam esse Angelis vim cognoscendi, et illorum scientiam longe

superare scientiam hominum ; non convenit tamen , num Angeli videant futura libera , num cognoscant secretas nostrorum cordium cogitationes , et quomodo res cognoscant , num per species ipsis a Deo conditas , an vero non.

112. Quoad primum , et alterum , juxta doctrinam , quam libenter exposuimus , et vindicavimus in Psycologia , cum sermo fuit de humana libertate , et de commercio animam inter , et corpus ; non dubitamus asserere , Angelos utique cognoscere posse futura libera , et occultas cordium cogitationes , si tamen Deus voluerit.

113. Et quidem , uti de libertate humana loquentes diximus , intimo , constanti , et infallibili sensu novimus , nos innato , et invincibili impetu ferri ad nostram perfectionem ; ex quo factum est , ut conveniat inter omnes , quod liberi non sumus circa bonum , et malum generatim inspectum. Saepissime quidem sequimur malum , et respuimus bonum. Sed id evenit ex judicio erroneo de utroque, ex quo orta est distinctio tam boni , quam mali, in verum , et apparens.

114. Posita hac veritate , nostram vindicavimus thesim , animam scilicet humanam directe gaudere tantum libertate indifferentiae : caute tamen admonentes , quod per libertatem indifferentiae non intelligimus facultatem amplectendi ad arbitrium , aut respuendi quodvis objectum ; sed intelligimus facultatem nos determinandi , aut ad arbitrium suspendendi actum voluntatis, et protrahendi examen. Verum cum placet voluntatis actum elicere , ex superiori doctrina , semper elicere debemus juxta statum , sive judicium intellectus. Et inde admonui-

mus, quod dum libertas est inextimabile Dei donum, quoniam sic faciliter vitare possumus vera mala repraesentata ut bona, ipsa tamen pro certo ponit in nobis defectum rectae scientiae, et cognitionum.

115. Hisce positis, dico, quod cum facultas cognoscendi Angelorum sit multo perfectior, quam nostra, ipsis non repugnat cognoscere ex recte cognitis causis naturalibus, quinam in futuro erit status physicus humani cerebri, quae in illo mutatio fiet ex actionibus exterioribus; et proinde quid ut bonum, quid ut malum animae repraesentabitur: et consequenter quid amabit, quidve renuet. Ergo, nisi aliter disposuerit Deus, possunt Angeli, saltem multo probabiliter praevidere futura libera.

116. Quod autem attinet ad nostras internas cogitationes, si proprium est potentiae intelligentis cognoscere quid in quovis loco, et a quavis potentia operatur, nihil sane est, quod impedire possit, quominus Angeli immediate cognoscant internas cogitationes nostri cordis. Etenim quia substantiae spirituales, uti sunt Angeli, non dicunt relationem existentiae, ipsae neque locum, neque distantiam, neque motum agnoscunt: et idcirco, ut diximus de commercio animae cum corpore, ipsae in quovis loco cognoscere, et agere possunt, juxta semper limites, qui illis a Deo praescribuntur.

117. Ex dictis itaque possunt Angeli cognoscere occultas cogitationes cordium. Sed cognoscant ne reipsa, an vero in hoc coarctata sit illorum facultas, nostra sententia est, quod non cognoscunt: et propterea sit.

PROPOSITIO XV.

Nec futura libera, nec occultae cogitationes nostri Cordis ab Angelis cognoscuntur.

118. *Prob.* prima pars. Isaiae cap. XLI. v. 23 legimus *Annuntiate, quae ventura sunt in futurum, et sciemus, quia Dii estis vos.* Ex quibus sic argumentamur. Ex allato testimonio, scientia futurorum soli Deo convenit, et adeo quidem, ut sit character, quo tuto cognoscitur Divinitas. Ergo nullimode convenire potest Angelis, qui sunt creaturae. Hinc merito dixit Tertullianus in Apologetico cap. XX. *Idoneum testimonium Divinitatis est veritas divinationis.*

119. *Prob.* secunda pars. In libro III. Regum cap. VIII. v. 39. habemus. *Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum.* Et Jeremiae cap. XVII. v. 9. *Pravum est cor omnium, et inscrutabile: quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, et probans renes* Ergo Deus tantummodo cognoscit secreta cordium. Quare S. Cyrillus Alexandrinus lib. I. in Joannem ait: Solum Deum esse scrutatorem cordium, nec ulli alteri mentem patere.

120. De tertia quaestione, utrum scilicet Angeli res cognoscant per species a Deo ipsis inditas, an vero a rebus ipsis acceptas, Thomistae priorem tuentur sententiam: et alteram tuentur Scotistae. Sed libenter aperiens, quod sentio, dico, utramque sententiam esse falsam. Quid enim per species istas intelligunt? Num-

quid veluti rerum imagines, quas per Thomistas Deus Angelis praesentat, et iu mente imprimit: aut per Scotistas quasi ab objectis evolantes Angelis fiunt praesentes? Ex hactenus dictis nimis ista stomachum movent. Quod si per hujusmodi species Thomistae intelligunt facultatem cognoscendi, qua Deus donavit Angelos; et Scotistae ipsam eamdem facultatem, cujus exercitio Angeli res cognoscunt: tunc reipsa convenit inter illos; et vera est illorum sententia.

121. Alteram non minus inutilem quaestionem moverunt Scholastici, de Angelorum scilicet collocutione. Quasi inter omnes convenit, Angelorum sermonem fieri motione membrorum in corporibus ab ipsis assumptis. Sed pudet exponere varias rationes, quibus id fieri diversae Scholae tradiderunt. Itaque breviter dico, quod si sermo est de Angelorum collocutione inter se, mutuam istam communicationem idearum nihil aliud esse, nisi effectum facultatis Angelorum res immediate cognoscendi. Et quidem cum ipsi sint substantiae simplices, et spirituales, et solae existentes non corporibus unitae, idcirco non dicunt relationem existentiae, non agnoscunt locum, neque distantiam, et non indigent aliquo medio, seu instrumento, ut animae humanae indigent corpore ad exercendam facultatem cognoscendi: sed immediate, et ubicumque vult Deus, res ut sunt in se cognoscunt. Id tamen modo finito, quia cognitio infinita absolute repugnat creaturis finitis. Ergo Angeli, quantum Deus cuique concessit, immediate, sine externo sensibili signo, aut medio, cognoscunt quisque ad invicem cogitationes aliorum; et communicant inter se ideas, sive, quod idem est, inter se loquuntur.

122. Quod si quaeratur modus, quo Angeli homines alloquuntur, dico, id fieri vi agendi, qua pollent. Itaque cum aliqua praecepta, consilia, aut ideas, volunt communicare hominibus, quia his datum non est immediate res cognoscere, et maxime substantias simplices, nisi ex mutationibus factis in cerebri fibriculis, Angeli, vi activa, qua pollent, eo modo mutationem illam solo voluntatis imperio producunt, ut homines illam concipiant ideam, quam illis Angeli communicare volunt. Sed quomodo in fibris cerebri mutationem producere poterunt Angeli substantiae simplices? Solo imperio voluntatis, ut dixi. Eodem ferme modo, quo ad imperium nostrae humanae voluntatis omnes voluntarii actus in nostro corpore peraguntur. Mementote quae diximus in Metaphysica, cum de commercio animam inter et corpus sermo fuit.

123. Sed de istis plusquam satis. Aliqua nunc dicamus oportet de Angelorum lapsu. Angelos in sui exordio a Deo gratia exornatos fuisse, communis est Theologorum sententia, et ea quidem gratia actuali, qua sibi meritum comparare potuissent. Item dubitandum non est, quin multi illorum graviter defecerint. Etenim saepe, et praecisis verbis, in Scripturis fit mentio Satanae, Diaboli, et Angelorum rebellium. Sed quodnam fuerit illorum peccatum, id non convenit inter Theologos.

124. Clemens Alexandrinus, cum Tertulliano, opinatus est, Angelos desertores peccasse ex incontinentia erga foemellas. Quis crederet! Multi ex veteribus existimarunt, Angelorum peccatum fuisse invidiam de de-

stinata gloria hominibus, et magis de Incarnatione Divini Verbi ad reparandum genus humanum perditum per peccatum Adae. Hanc sententiam rejecit Augustinus lib. II. de Genesi ad litteram cap. XIV. Scotus docuit, Angelorum delictum fuisse luxuriam spiritualem, nimiam scilicet sui delectationem, et complacentiam. Nescio qua ratione factum sit, ut nonnulli hanc Scoti sententiam diversam existimarunt a sententia Divi Thomae 1. parte, quaest. 63. art. 2; quae in Scolis deinceps communis facta est. Scilicet, peccatum Angelorum fuisse superbiam. Hanc ipsam sententiam, ut omnibus caeteris probabiliorem nos amplectimur: et propterea sit

PROPOSITIO XVI.

Peccatum Angelorum non aliud fuisse videtur, quam superbia.

125. *Prob.* Tobiae cap. IV. v. 14 legimus, quod Tobia pater ita filium admonuit: *Superbiam* nunquam *in tuo corde, aut in tuo verbo dominari permittas. In ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.* Profecto haec verba intelligenda sunt tam respectu hominum, quam Angelorum. Et Isaiae cap. XIV. v. 12 et seq. ita describitur lapsus Angelorum in persona crudelissimi et superbissimi Regis Babyloniae. *Quomodo cecidisti de coelo, Lucifer, qui mane oriebaris? Corruisti in terram, qui vulnerabas gentes. Qui dicebas in corde tuo: In Coelum conscendam super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in*

monte testamenti in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci. Ergo etc.

126. Idipsum confirmatur ex communi doctrina SS. Patrum quorum omnium instar Augustinus in Psal. XVIII ita scribit de superbia. *Hoc est delictum, quod dejecit Angelum, quem ex Angelo fecit Diabolum.* Ergo etc.

127. Ex superbia, quam diximus fuisse peccatum Angelorum rebellium, Divus Thomas in superius citato loco dicit, sequutam fuisse invidiam, qua *de bono hominis doluit*. Et Augustinus lib. II. de Genesi ad litteram cap. XVI. scribit: *Invidia sequitur superbiam, non praecedit . . . Superbiendo invidus, non invidendo quisque superbus est.*

128. Sed si quaeras, in quo ista Angelorum superbia posita fuerit, dico, non constare. Nonnulli volunt, Angelos concupisse fieri Deo similes, si id fieri potuisset. Alii censent, Satanam principem rebellium Angelorum noluisse Deo subjici, sed voluisse esse sui juris. Et sunt qui opinantur, Satanam affectasse sibi Divinos honores. Sed Sanctus Thomas dicit, Diaboli superbiam fuisse in eo, quod ita appetierit similitudinem Divinitatis, ut eam vellet beatitudinem, ad quam propria virtute naturaliter pervenire posset, vel vellet quidem beatitudinem supernaturalem, sed sine auxilio Creatoris.

CAPUT VI.

De Angelorum ordinibus, et eorumdem mysterio erga nos.

129. Varii Angelorum ordines vulgo traduntur in scholis Theologicis. Et quidem distinguntur in tres Hierarchias, et novem choros. Hierarchia vox graeca idem significat, ac principatus apud latinos. Ipsa definiri potest per certum personarum numerum, quae ad sacra obeunda ministeria sunt destinatae. Hinc duplex ipsa est, alia ecclesiastica, quae conflatur ex clericis, et alia caelestis; quae coalescit ex variis Angelorum choris. Novem itaque numerantur chori, et ex his tres adsignantur Hierarchiae. Chori sunt Seraphim, Cherubim, Throni, Dominationes, Principatus, Potestates, Virtutes, Archangeli, et Angeli. Ex his priores tres pertinent ap primam Hierarchiam, secundi ad aliam, et tertii ad ultimam. Communis est haec distinctio Angelorum, si impium Calvinum excipiamus, qui illam deridet in lib. I. Institutionum cap. XIV. sectione IV.

130. Jam tritum est apud Theologos, singulos Angelorum Choros sua nomina sortiri a suis proprietatibus. Itaque Seraphim, idest ardentes, sic appellantur a charitatis excessu erga Deum, Cherubim a scientiae plenitudine: Throni, quia in eis Dei Majestas, veluti in Throno, resedit: Dominationes, quia ipsis caetera sunt subjecta: principatus quia sunt veluti ductores a-

liorum ad exteriora perficienda: potestates, quia ipsis datum est disponere, et ordinare, quae ab inferioribus sunt agenda: Virtutes, quia per ipsos signa patrantur: Archangeli, a quibus summa annuntiantur: et tandem Angeli, qui annuntiant minora.

131. Omnium Angelorum Princeps vulgo creditur Michael. Sed Coccaeus Wistius, Odaeus, et alii nonnulli contendunt, Michaelem, de quo in Scripturis frequenter fit mentio, non esse Angelum, sed ipsum Dei Filium, qui sub variis figuris apparuit. Contra ipsos ergo sit

PROPOSITIO XVII.

Insanum prorsus est dicere, Michaelem, de quo mentio fit in Scripturis, non esse Angelum, sed ipsum Dei Filium.

132. *Prob.* In Apocalipsi cap. XII. v. 7. habemus: *Et factum est praelium magnum in Coelo. Michael, et Angeli ejus praeliabantur cum dracone: et draco pugnabat, et Angeli ejus.* Et v. 11. legimus de praelii exitu: *Et ipsi* (Michael, et Angeli ejus) *vicerunt eum propter sanguinem Agni, et propter verbum testimonii sui.* Ex quibus sic fas est argumentari contra Haereticos. Procul dubio in allato testimonio Michael diversus est ab Agno, in cujus sanguine ipse cum Angelis suis pugnando vicit draconem. Sed per Agnum Joannes intelligit Christum Filium Dei. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*; ut legimus in Evangelio ejusdem Joannis cap. I. v. 29. Ergo Michael non est Filius Dei.

133. Superfluum prorsus videtur addere, quod haec est doctrina omnium Sanctorum Patrum. Quippe nullus negare potest, quod et ipsa sit doctrina universae Ecclesiae, quae semper, et ubique coluit, et venerata est Michaelem, ut Angelum, non vero ut Filium Dei. Quod si Ecclesia, ut suo loco demonstratum fuit, est columna, et sedes veritatis; dicendum est, quod insanum prorsus est etc.

Unica Objectio adversariorum.

134. Danielis cap. VII. v. 25 Michael appellatur Princeps Principum: *Et contra Principem Principum consurget, et sine manu conteretur.* Sed hic est Filius Dei, qui in Apocalypsi cap. XVII. v. 14 dicitur *Dominus dominorum*, *et Rex regum.* Ergo etc.

135. Falso prorsus in objecto Danielis testimonio sermo est de Michaele Arcangelo. Etenim allata verba, ut per se patet, referri debent ad ipsum Deum, contra quem insurget Rex impudens, pro quo intelligunt Antiochum Epiphanem.

136. Altera de Angelorum lapsu hic agitur quaestio. Dum vulgo traditur, quod ex quolibet ordine fuerunt Angeli rebelles, non omnino tamen convenit, num qui ceciderunt statim iufernali igni addicti fuerint, an vero reserventur ad judicii diem. Verum quidem est, quod res nondum ab Ecclesia est definita. Et Petavius lib. III. de Angelis cap. IV. scribit, opinionem Veterum Ecclesiae Patrum, scilicet Daemones e Regno Coelorum expulsos, in nostrum aerem fuisse ejectos et in illo versari, immunem esse ab omni errore.

137. Sed quoniam Apostolus in Epist. ad Ephesios cap. VI. v. 12 scribit. *Non est nobis colluctatio adversus carnem, et sanguinem, sed adversus principes, et potestates adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae, in coelestibus* (hoc est nostro aere): hinc duplex Theologorum sententia enata est hac super re. Nonnulli docent, ex Angelis rebellibus alios statim detrusos fuisse in inferni carcere, et igne puniri; et alios in turbidum aerem ejectos ad judicii diem servari. Pro hac posteriori sententia praesertim pugnat Laurentius Berti. Sed communior sententia est, omnes rebelles Angelos de Coelo ejectos statim in inferno fuisse detrusos, ibique igne inextinguibili torqueri; licet pro temporis varietate, Deo permittente, quidam ad tempus inde exeant pro hominum exercitatione.

138. Posterior sententia nedum probabilior, sed certa quoque, licet non de fide, nobis videtur. Ingenue nihilominus fatemur, quod aliquo modo dura videntur verba, *in inferno detrusos*, *inde exire* etc. Quid enim locus proprie dictus, quid exire, et redire, cum substantiis spiritualibus, quae cum non dicant relationem coexistentiae non agnoscunt quoad se locum, nec propterea motum, qui est loci mutatio? Verum quidem, quod in dato loco substantiae spirituales possunt cognoscendi facultatem exercere, agere, laetari, et pati: sed ipsae tamen non sunt circumscriptive in loco, uti in loco sunt substantiae corporeae: et propterea non vere substantiis spiritualibus convenit vocabulum exire; sed potius, quod cessant agere in uno loco, et incipiunt agere in alio. In hoc sensu bene certo possunt Angeli rebelles

torqueri in igne infernali. Et simul in terra tentare, et exercere homines. Sed sit

PROPOSITIO XVIII.

Omnes Angeli rebelles statim post lapsum inferni igne damnati fuere.

139. *Prob.* In Epist. II. Petri Apostoli cap. II. v. 4 legitur: *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari etc.* Si non pepercit, et jam tradidit cruciandos, statim procul dubio tradidit. Nec ullo modo derogare possunt verba sequentia *in judicium reservari.* Etenim sicut reprobi statim post mortem inferni igne damnantur, et reservantur etiam ad finale judicium, idipsum dici potest de Angelis rebellibus, licet illos Deus jam tradiderit cruciandos.

140. *Prob.* 2. ratione theologica. Florentina Synodus decretum edidit, quo declaravit, eos, qui in lethali peccato decesserit, illico inferno destinari. Si hoc pro hominibus, cur non item pro Angelis rebellibus. II. Cum Deus Angelos creavit, omnibus praemium, aut poenam, pro illorum meritis adpromisit. Sed qui steterunt mox ad mercedem, gloriam scilicet coelestem, vocati fuere, uti praesertim constat ex Christi verbis apud Matth. cap. XVIII. v. 10. *Angeli eorum* (scilicet parvulorum) *in coelis semper vident faciem Patris mei*; cur non item illico poena tributa est Angelis desertoribus? Dicendum ergo etc.

Solvuntur objectiones.

141. Quae ab adversariis opponi solent, ad haec tria reducuntur. I. Postquam in allato testimonio (§. 139) Petrus dixit: *Deus Angelis peccantibus non pepercit* etc. e vestigio subdit. *In judicium reservari.* Ergo inflictio poenae Angelis rebellibus reservatur in diem extremi judicii. II. In extremo die sic Christus judex suam proferet sententiam contra reprobos Matth. cap. XXV. v. 41. *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est Diabolo, et Angelis ejus.* Ergo poena inferni pro Angelis rebellibus parata quidem et destinata illis est a constitutione mundi, sed non adhuc inflicta. III. Matth. cap. VIII. v. 29. Daemones a Christo coacti exire a duobus corporibus humanis, sic clamaverunt. *Quid nobis, et tibi, Jesu Fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos.* Ergo Christi tempore nondum torquebantur Daemones. Quinimo nec illud etiam erat torquendi tempus, etenim secus Christus illis imperasset, ut irent in infernum, non vero permisisset, ut ingrederentur in porcos. (ibidem).

142. Ad primum respondemus, quod sicut reprobi homines statim post solutionem animae a corpore damnantur igne inferni, et reservantur etiam ad extremum judicium, ita reservatio Daemonum ad hoc idem judicium non excludit illorum damnationem immediate post peccatum.

143. Ad alterum dicimus, quod nihil aliud ex verbis sententiae summi Judicis Christi deduci potest, nisi

quod ignis, quo plectentur reprobi, idem est, ac ille, quo plectuntur Daemones.

144. Ad tertium vulgaris est responsio, scilicet, quod idcirco Daemones a corporibus humanis a Christo expulsi dixerunt: *Venisti huc ante tempus torquere nos*; quia maximum tormentum est illis humana corpora non invadere, et invasa relinquere; et id quia summe invident saluti hominum: non vero quasi cum invasa tenebant ipsi infernali igne non torquerentur. (§. 138.) Dixerunt quoque, quod ante tempus venerat imperans super illos, quia nondum peracta erat humana Redemptio.

145. Magna hic difficultas agitat mentem Thelogorum, quomodo scilicet Angeli rebelles, qui Spirituales sunt, et idcirco nec corpora tangere possunt, nec tangi ab illis, sentire possint vim acerbissimam ignis. Et num qui ad tempus ab inferno exeunt, sentiant eo ipso tempore flammarum poenam. Sed libenter dico, quod puerilis, prorsus videtur hujusmodi quaestio nostris temporibus. Et quidem quod spectat ad primam difficultatem. Nonne spirituales quoque sunt animae humanae? Sed quis revocat in dubium, quod nihilominus vim ignis sentiunt? Sed numquid sentiunt per ignis contactum? Quid iste contactus? Sentiunt, quia ex cognitione mutationis in cerebro, in quo solum ipsis datum est immediate cognoscere, et agere efficaci vi voluntatis, cognoscunt dissolutionem alicujus partis corporis, id quod sibi maxime displicet. Quid si idem, aut etiam major sensus percipiatur, et concipiatur ab Angelis rebellibus, ita disponente Deo? Et en quoque soluta altera quaestio, quomodo scilicet Angeli rebelles, eodem tempore,

quo illis datum est agere extra locum inferni, simul inferni igne cruciantur.

146. Nunc aliqua dicamus oportet de Angelorum ministerio erga homines. Cuique nostri vigilem Angelum a Deo deputari, communis est Scholarum sententia. Sed nullam, hac super re habemus Ecclesiae definitionem: quocirca ad fidem non pertinet haec, licet communis scholarum sententia. Calvinus deridet hujusmodi Angelorum custodiam, et in commentariis ad Acta Apostolorum cap. XII. appellat falsum, et profanum commentum, quod cum tota Scriptura pugnat. Contra ipsum ergo sit

PROPOSITIO XIX.

Temeritatis maximae est negare, cuique fidelium a Deo vigilem Angelum deputari.

147. *Prob.* 1. ex Scripturis. In Genesi cap. XLVIII. v. 16. Jacob benedicens Filiis Joseph ait. *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* Ergo Jacob habuit vigilem Angelum. Eumdem habuit quoque Judith, ut habemus ex ejus libro cap. XIII. v. 20. *Vivit autem ipse Dominus quoniam custodivit me Angelus ejus.* Et quod similiter habeant omnes fideles, satis clare cecinit David psal. XXXIII. v. 10. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos.* Et item psal. XC. v. 11. *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis* Ergo etc.

148. Haec ipsa doctrina adeo communis est apud

Patres tam Graecos, quam Latinos, ut valde temerarium sit ab illa recedere. Sic Origines Hom. XX. in Numeros ait: *Adest etiam minimis Dei Angelus bonus.* Crysostomus Hom. III. in caput I. Epistolae ad Colossenses scribit. *Unusquisque fidelis habet Angelum.* Et caeterorum instar Ambrosius in lib. de *Viduis* scripsit: *Angeli nobis ad praesidium dati sunt.* Ergo etc.

Objectionis Calvini.

149. Quoniam multa, quae a Calvino objiciuntur, nullius sunt momenti, et per se falsa dignoscuntur, libenter propterea omittimus. Afferimus tamen testimonium Apostoli ad Hebraeos cap. I. v. ultimo, quo Calvinus pro sui causa abutitur: scilicet: *Nonne omnes* (Angeli) *sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui haereditatem capiunt salutis?* Itaque dicit Haeresiarcha Calvinus. Si ex doctrina Apostoli Angeli mittuntur ad eos, qui haereditatem salutis capiunt, profecto non omnibus, sed ad summum solis praedestinatis datur a Deo Angelus vigil. Et quidem si Angelorum custodia propterea datur a Deo, ut recte agamus, ut firmos nos illi teneant in via salutis, ut nos tueantur ab insidiis Daemonum etc, frustra ipsa prorsus esset pro reprobis.

℞. Negotium nostrae salutis aeternae essentialiter quidem pendet a Deo: sed non excludit tamen liberam nostram cooperationem. Pro omnibus aeternum, et Patri consubstantiale Verbum assumpsit humanam carnem,

et ut homo Deus suum effudit sanguinem : et tamen non omnes salvantur : et id quidem non defectu divinorum auxiliorum , quae sufficientia omnibus a Deo impertiuntur ; sed ex defectu nostrae liberae voluntatis. Eccur idipsum non dicendum de custodia Angelorum ? Numquid ipsa contra oeconomiam nostrae aeternae salutis destruere debet nostram libertatem ? Itaque datur omnibus auxilium Angelorum Custodum. Sed quia nihilominus liberi semper sumus , et in manu nostra est vita , et mors ; idcirco multi , etiam sub custodia Angelorum aeternam salutem non assequuntur.

150. Num autem omnes omnino homines , etiam infideles , Angelum custodem habeant , id non constat inter Patres. Hilarius , Basilius , Chrysostomus , aliique non pauci , solis fidelibus illum tribuunt. Sed oppositum tenet Hieronymus , Ambrosius , Anselmus , et alii.

151. Tandem , quia Danielis cap. X. v. 13 fit mentio Angeli , qui praeerat imperio Persarum : *Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti , et octo diebus* : *Et ecce Michael unus de principibus primis venit in adjutorium meum , et ego remansi ibi juxta Regem Persarum.* Et cum apparuisset princeps Graecorum , ibidem v. 20, et ultimo , ait idem Angelus : *Et nemo est adjutor meus in omnibus his* , *nisi Michael princeps vester.* Inde ergo multi inferunt , probabile esse cuique regno , et provinciae praeesse Angelum Custodem.

152. Non desunt etiam , qui , sine ullo fundamento dicunt , quod cuique non solum deputatur Angelus bonus , sed etiam Angelus malus , seu Daemon , delegatur

a satana. Sed intentator malorum est Deus, ut id fieri sinat, ut legimus in Epistola Jacobi Apostoli cap. I. v. 13. *Nemo, cum tentatur, dicat, quoniam a Deo tentatur: Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat.*

Et haec dicta sufficiant pro brevi institutione circa Deum Creatorem.

THEOLOGICARUM INSTITUTIONUM

LIBER VI.

DE DIVINI VERBI INCARNATIONE.

1. Alacri animo, studiosissimi Juvenes, hactenus operam dedistis doctrinis, et dogmatibus de Deo uno, de Mysterio Sanctissimae Trinitatis Personarum in una Natura Divina, et de Deo Creatore. Laetamini modo, et simul revocate animum, et omnes intendite ingenii vestri vires, quoniam accedatis oportet ad illud altissimum, et praeclarissimum totius Revelatae Doctrinae Mysterium, ex quo nostra aeterna salus, et fundamentum nostrae Sanctissimae Religionis. Jam intellexistis, quod loquor de Mysterio Divini Verbi Incarnationis. Mysterium sane hoc est adeo reconditum, mirabile, et supra omnem humanam rationem, ut absque potentissimo Divinae gratiae auxilio aut stultum inventum judicaverint homines, aut repugnans omnino, et blasphemum. Ita quippe sensiebat Apostolus Paulus cum ad Corinth. scribens Epist. I. cap. I. v. 23. ait. *Nos autem praedicamus Christum Crucifixum: Judaeis quidem scan-*

dalum, *Gentibus autem stultitiam*. Quod si ex nobilitate, et sublimitate doctrinae nostrum studium, et opera adhibenda sit; jam videtis, dilectissimi Juvenes, quae cura, quanta diligentia, qui improbus labor nunc vobis sit necessarius.

Prae caeteris autem rebus maxime vobis necessarius est timor Domini, et assiduum orationis studium. Tot enim, et tam pestiferi, ac infensi sunt hostes, cum quibus vobis res erit in pertractando hoc Sanctissimo Mysterio, ut ad illos debellandos nullimode sufficere possint quaevis naturales vires sine peculiaris gratiae Dei auxilio. Hujusmodi ergo induti armis, et galea tecti firmae fidei in Jesum Christum verum Deum, et hominem pro aeterna nostra salute passum, et crucifixum, agite alacriter, et cum fiducia ad tantum opus accedite.

Partitio operis.

2. Juxta naturam, et rationem haeresum, quas Infernus suscitavit, et evomuit contra Sanctissimum Mysterium *Divini Verbi Incarnationis*, opus est, ut sextus hic liber Theologicarum Institutionum a nobis distribuatur. Et quoniam ad sex genera revocari possunt, qui circa Divini Verbi Incarnationem erraverunt: scilicet I, qui illam absolute negarunt. II, qui Christo negarunt Divinitatem. III, qui male senserunt de vera ejusdem Divinitate. IV, qui duas in Christo asseruerunt Personas, Divinam unam, humanam alteram. V, qui male senserunt circa ejusdem Christi proprietates sive Divinas, sive humanas. Et VI, qui erraverunt circa Christi

Redemptoris munera: Idcirco in sex partes hic liber a nobis dispescitur. Et quidem in priori omni argumentorum genere demonstrare, et vindicare conabimur Incarnationis existentiam contra Gentiles, et Judaeos. In secunda vindicabimus in Christo veram Divinitatem. In tertia ejusdem demonstrabimus veram humanitatem, et quoad corpus, et quoad animam. In quarta profligabimus errores contra unitatem Personae in Christo. In quinta disputabimus de Christi proprietatibus Divinis, humanis, et quasi mixtis, sive communibus. Et in sexta sermo erit de Christi Redemptoris muneribus. Deinde subjiciemus appendicem de causis Incarnationis. Ac tandem breviter disputabimus de cultu Sanctorum.

PARS I.

DE EXISTENTIA INCARNATIONIS.

3. Duo in hac priori parte nobis expendenda sunt. Primo contra Gentiles demonstrare debemus Divini Verbi Incarnationem, prout a nobis, maxime Catholicis, creditur, et adoratur, nullam in se veram contradictionem involvere. Secundo, adversus ingratos, et pervicacissimos Judaeos tuebimur, jam advenisse Messiam in ipsorum lege promissum, et ab eisdem expectatum, et hunc esse Jesum Christum verum Deum, et hominem, quem illorum Majores cruci affixerunt.

CAPUT I.

Demonstratur contra Gentiles, Mysterium Divinae Incarnationis non repugnare.

4. Antequam opus aggrediamur, nonnulla praemittenda nobis videntur, quo facilius absolvatur. Itaque nomine substantiae intelligimus quidquid per se existit, alio non indigens, cui, veluti subjecto, innitatur, ut concipi possit existens.

5. Si substantia sit in se tota, ita ut per se non dicat unionem cum altera substantia, et simul sit ratione praedita, ipsa dicitur persona. Sic quivis Angelus est persona, quia quivis est substantia, sive subjectum substantiale completum, et rationale. Contra, anima humana considerata nunc a corpore separata, licet sit substantia, et quidem ratione praedita, quia tamen sola spectata non est in se subjectum totum, et completum, sed dicit unionem cum corpore, ipsa non dicitur persona.

6. Coroll. I. Ergo persona, aeque ac ab esse rationale, constituitur quoque ab esse incommunicabile. Et idcrico, sicut anima humana si ope abstractionis consideretur separata a corpore, non est persona; ita unio animae rationalis cum corpore, quae constituit personam, si ex hypothesi non esset unio completa, sed diceret unionem ulteriorem ad aliam substantiam, ut novum conficiat subjectum compositum, ipsa sola non amplius conficeret personam. Et id utique quidem fieri potest, quia dicere, et non dicere unionem, et etiam ulteriorem, pertinet ad liberam Dei voluntatem.

7. Coroll. II. Igitur non solum singularis, et individua substantia rationalis, et completa, uti in Angelis, est persona; sed persona etiam est unio plurium substiantiarum, quoties habetur esse rationale, et incommunicabile.

8. Coroll. III. Ergo, contra, si duo subiecta rationalia sive sint duae simplices substantiae uti sunt Angeli; sive sint uniones plurium substantiarum in uno subjecto, uti sunt homines, ex hypothesi sint destinata a Deo ad efformandum unum compositum completum, tunc non duas, sed unam tantum personam constituerent. Ex quo enim illae de facto unirentur, jam non essent subjectum completum et incommunicabile (§. 6.)

9. Coroll. IV. Ergo si fiat hypothesis, ut aliquis Angelorum destinatus sit ad efformandum unum subjectum cum anima humana et corpore, facta unione, una tantum in isto subjecto composito haberetur persona. Etenim hac in hypothesi tam substantiae Angelicae, quam unioni animae, humanae cum corpore, deesset esse completum, et incommunicabile.

10. Coroll. V. Si ex hypothesi duo subjecta, quae ceteroquin ex communi lege naturali constituissent personam, jam ex Dei voluntate in unum subjectum unirentur, quoniam nullum illorum ex defectu incommunicabilitatis erit persona (§. 6), in novo isto composito erit persona tertia.

11. Coroll. VI. Sed si ex hypothesi, una ex partibus componentibus sit absolute in se completa, et in se tota essentialiter existens, ita ut nullatenus fieri possit, ut non sit persona, tunc in hac hypothesi ista unica per-

sona erit in novo composito, nec persona ibi esse posset alterius partis, nec alia persona tertia.

12. Sed quaeritur. In hypothesi, quod ex duobus subjectis, quae communi lege fuissent personae, fiat unum subjectum compositum, et propterea una persona, servarent ne illa subjecta in hac unione, et unitate personae, unumquodque suas proprias, et peculiares proprietates?

℟. Nihil est, cur servare non possint, et non debeant. Etenim ex posita unione quaevis pars compositi suam retinet naturam, et idcirco suas servat proprietates. Et requidem vera in homine tam anima, quam corpus, suam retinent naturam, et proprietates. Verum tamen, quod ex vi verae, et realis unionis, alioquin si apparens tantummodo illa esset, non haberetur unitas personae, enascerentur proprietates tertiae speciei, quae dici possent communes, et quasi mixtae. Et sic reipsa in homine habemus cogitationem, et libertatem, quae sunt animae proprietates propriae; et integras quoque habemus proprietates corporis. Et simul habemus proprietates quasi communes, et mixtas, ut sunt E. G. sensationes rerum materialium in anima, et motus spontanei in corpore.

13. His breviter praenotatis, opus nunc est, ut exponamus, quae sit doctrina, et fides Catholicae Ecclesiae de Mysterio Divini Verbi Incarnationis. Itaque Catholici credunt, adorant, et confitentur, ut essentiale dogma Religionis Christianae, et absolute necessarium ad nostram salutem, Æternum Verbum verum Deum, et Patri Consubstantiale, ut genus humanum ab aeter-

na morte redimeret, et Divinae Justitiae tam pro originale peccato, quam pro peccatis nostris propriis, et actualibus, vere, et plene faceret satis, virtute Spiritus Sancti, in utero Virginis Mariae, in unitate personae assumpsisse humanam naturam, veram scilicet animam, et verum corpus humanum: ita ut Christus fuerit verus Deus, et in omnibus verus homo. Hoc est princeps dogma circa Mysterium Sanctissimae Incarnationis. Multa alia inde sequuntur, quae fusius deinceps explicabimus, et vindicabimus ab erroribus Haereticorum.

14. Hoc dogma Catholicorum, ut in se repugnans, negant Gentiles, et derident etiam. Gentilibus accenseri possunt ex antiquissimis temporibus Cerinthus, Hebion, Nazarei, et Helcesaei, qui dicebant, Christum fuisse purum hominem, natum ex Josepho, et Maria, uti caeteri homines nascuntur. Socinus cum suis sectatoribus, eamdem videtur sensisse impietatem, scilicet Christum fuisse purum hominem. Et utinam desint nostris temporibus qui in corde suo uti absurdum inventum hoc sanctissimum Mysterium derident. Contra omnes itaque sit

PROPOSITIO I.

Mysterium Divini Verbi Incarnationis, prout Ecclesia Catholica pro altero essentiali fidei dogmate credendum proponit, nullam in se veram contradictionem involvit.

15. *Prob.* Cuique perspicuum est, quod in solvendis quaestionibus ejusdem generis, ac nostra, duplici

modo procedere potest demonstratio, directe scilicet, et indirecte, sive positive, et negative. Est demonstratio directa, cum ex natura rei, aut ex natura terminorum alicujus propositionis, deducitur, ipsos invicem non pugnare, ita ut alter alterum destruat, aut quod alter affirmat, alter neget. Indirecta autem erit demonstratio, si nulla positiva ratio, aut argumentum directum afferatur, verum sufficienter solvuntur, et dissipantur opposita, quibus adversarii conficere nituntur, nostram propositionem intrinsecam, et veram involvere contradictionem. In praesenti nostra quaestione sufficere potest demonstratio indirecta, quia negativa ipsa est. Et ita quidem se gerunt ferme omnes Theologi. Sed pro rei gravitate visum est tentare, num nobis bene cedat etiam demonstratio directa. Ad rem itaque.

16. Dogma Catholicum est (§. 13), quod Divinum Verbum, scilicet secunda Persona in Divinis, operante simul Patre, et Spiritu Sancto (etenim agitur de opere *ad extra*, et idcirco ex regula fidei, juxta Catech. Rom. commune est tribus personis), assumpsit perfectam humanitatem in unitate suae Personae Divinae, ita ut in Christo una sit Persona, et haec non persona humana, neque tertia aliqua, sed illa Divini Verbi. Procul dubio nulla in hoc erit vera, et intrinseca repugnantia, primo si nulla repugnantia habeatur, si ex duobus subjectis, quae ceteroquin essent personae, fiat una (§. 10). II. si ex unione duorum subjectorum, quae ceteroquin essent personae, non habeatur tertia, sed persona permaneat unius illorum (§. 11.) III. Si proprietates utriusque partis componentis remaneant in-

tegrae, et impermixtae. IV. Si subjectum finitum, et creatum, quod ceteroquin esset persona, possit hypostatice, idest in unitate Personae infinitae, et increatae, ab ista assumi. Tandem, super omnia, si non vere repugnet, ut una tantum Persona in Divinis, et non omnes tres simul, sibi assumat in unitate suae Personae naturam humanam. Sed res ita se habet. Ergo etc.

17. *Prob. prima min. pars.* Ex §. 6. ad constituendam personam non sufficit *esse rationale*, sed necessario quoque requiritur *esse incommunicabile*. Et haec quidem proprietas, ut scilicet subjectum sit incommunicabile, non necessario sequitur *esse rationale*, sed pendet ex liberrima Dei voluntate. Sic ex §. 5. Angeli sunt personae, et personae non sunt animae hûmanae. Ergo si ex Dei potestate est, ut substantia ratione praedita sit incompleta, seu dicat unionem cum altera, in Dei quoque potestate est, ut plures hujusmodi substantiae, et uniones substantiarum, quae ceteroquin essent personae, simul in unum subjectum uniantur, et tunc una tertia tantum habebitur persona, juxta hypothesim §. 10.

18. *Prob. II. pars.* Ex corollario tertio §. 8: si duo subjecta, quae ceteroquin essent personae, sive sint duae simplices substantiae per se complete existentes, et rationales, sive sint uniones substantiarum, uniantur in unum compositum, tunc in hac hypotesi non duae, sed una erit persona. Et ratio est, quia ad constituendam personam necessario requiritur *esse incommunicabile*, id quod amiserunt illa subjecta, quae ceteroquin fuissent personae, quoniam de facto jam conjuncta fuerunt in u-

num subjectum compositum. Ergo absolute repugnat, propter defectum incommunicabilitatis, ut in quavis unione plurium subjectorum, quae ceteroquin fuissent personae, plures habeantur personae, sed una tantum esse debebit. Sed ex corollario VI. §. II. in hypothesi, quod unum ex subjectis quae simul conjunguntur, sit persona absolute, et essentialiter in se completa, et in se tota essentaliter existens, ita ut absolute pugnet, ut desinat esse personam, tunc ista erit persona compositi, et locum non habebit persona tertia. Sed in augustissimo Mysterio Incarnationis talis est Persona Divini Verbi, cui unitam credimus naturam humanam. Ergo non repugnat si in Christo non fuit persona humana, nec fuit alia tertia, sed unica Persona Divini Verbi. *Prob. min.* quoad secundam partem. Persona Divini Verbi est unus ex tribus modis essentialibus, quibus intrinsecus ex duabus operationibus *ad intra*, subsistit Natura, et Essentia Divina. Ergo est absolute necessaria, aeterna, et immutabilis, et propterea adeo repugnat, ut desinat esse personam, quantum intrinsecus repugnat, ut quae ad intrinsecam Dei Naturam, et Essentiam pertinent, mutentur, ut non amplius tres, sed duae tantum Personae sint in Divinis; et ut non amplius in Natura Divina sit terminus primae operationis *ad intra*, scilicet imago consubstantialis Patris.

19. Tertia pars ad verbum demonstrata fuit in responsione ad id, quod quaerebatur §. 12.

20. *Prob.* IV. *pars.* In hac parte, quae est hypothesis corollarii VI. §. 11. si esset contradictio, ipsa esset vel ex parte Personae infinitae, cui copulatur quae

erat natura finita, et creata; vel ex parte hujus, ut copuletur, sive assumatur a Persona Infinita; vel tandem ex quo in assumptione ista non habeatur persona tertia.

Sed nulla ex parte hujusmodi habetur absurdum. Et quidem tunc ex parte Personae Infinitae assumentis haberetur assurdum, cum aut aliquid amitteret, aut aliquid adquireret de novo. Sed nihil omnino amittit, quia ipsa tota integra manet: nec quidquam illi in unione addere potest natura quae est finita, quia realitates hujus omnes, et perfectissimo modo, sunt in Persona Infinita, sicut creatura nihil addere potest Creatori, si ipse consideretur simul cum creaturis, quia Infinito nil dari, aut concipi potest majus. Item assurdum esse non potest ex parte illius, quae est natura finita, quia in unione seu assumptione, integrae manent et finitae illius proprietates, nec augentur in modum, ut evaderent infinite, quo casu dumtaxat haberetur absurdum, quia absolute repugnat dari plura entia infinita. Sed nusquam Ecclesia Catholica docet, proprietates, et realitates humanitatis in Christo fuisse infinitas. Quod si infinitum appellat honorem, ad quem sublimata est humanitas in unione hypostatica, eo sensu id intelligi debet, ut nequeat major excogitari, quoniam in unitate personae copulata est cum Divino Verbo. Nec tandem habetur absurdum ex eo, quod in unione non habetur persona tertia, sed permanet Persona Divina. Quinimo et oppositum esset prorsus repugnans, quia secus persona infinita esset simul, et non esset in se essentialiter completa et incommunicabilis. Quapropter rectissime credit Ecclesia Catholica, quod in Christo non fuit persona humana, etsi fuerit vera, et integra humanitas, nec persona tertia, sed sola Persona Divini Verbi

21. Quod ad ultimam partem spectat, fateor quidem, quod primo intuitu res videtur non parvi momenti. Sed tamen, si adversarii non adeo superbiunt, ut velint comprehendere, et clare videre rationem Mysteriorum naturaliter incomprensibilium, et sic dicere absurda, et vera repugnantia illa omnia, quae clare non assequuntur, tunc dico, quod maximae temeritatis est, in hac ultima parte veram contradictionem asserere. Quippe verae contradictionis ratio reposita est in vera, manifesta et directa oppositione, terminorum, ita ut clare appareat negari, aut destrui ab altero termino propositionis, quod alter affirmat. Sed nunquid ita, cum dicimus, solam Personam Verbi, non vero omnes tres simul assumpsisse humanitatem? Etenim quamvis una simplicissima, et omnino eadem sit Divina Natura, Essentia, seu Substantia, in ipsa tamen non una est Persona, sed tres realiter distincte.

Ergo juxta fidem Catholicorum una est Natura, Essentia, et Substantia Divina; sed tres sunt Personae realiter distinctae, quia Verbum, sermo, idea, imago, quia terminus comprehensionis et generationis, veram dicit oppositionem cum Persona Patris, quae est generans, seu comprehendens. Et sic quoque Persona Spiritus Sancti respectu Personae Patris, et Filii, in altera operatione *ad intra*. Ergo licet Pater, Filius, et Spiritus Sanctus, unam, et eamdem omnino habeant Naturam, et Essentiam Divinam, cujus respectu nullum sit inter se discrimen, nihilominus quoad *esse personae* realiter inter se distinguuntur.

Hisce expositis, unde, quaero ab adversariis, re-

peti potest vera contradictio in praesenti nostro dogmate ? Si Persona Divini Verbi realiter distinguitur a Persona Patris , et Spiritus Sancti , quamvis eadem in omnibus sit Divina Natura , quae contradictio cum dicimus solam Personam Divini Verbi assumpsisse naturam humanam ? Nec ad contradictionem revincendam valet dicere , quod Incarnatio est divina operatio *ad extra* , quae ex regula nostrae Catholicae fidei (Catech: Rom. art. III. n. 3) aeque pertinet ad omnes tres Personas. Etenim fides Catholica dicit, solam Personam Verbi , assumpsisse humanitatem ; sed cooperante tamen Patre , et Spiritu Sancto. Altissimum quidem est hoc mysterium , et omnino supra omnem creatam intelligentiam. Sed non propterea vere in se repugnans , quia non habetur vera oppositio terminorum.

Solvuntur objectiones.

22. Multa , quae opponi solent , facile solvuntur ex hactenus expositis demonstrationibus. Sed nihilominus nonnulla peculiaria adducimus. Itaque adversarii dicunt : I. Si Divinum Verbum assumpsisset humanitatem , ipsum procul dubio fuisset mutatum ; quoniam factum fuisset in tempore , quod non fuit ab aeterno. Sed id repugnat. Ergo etc. II. In hypotesi Incarnationis una , et eadem Persona Christi esset simul verus Deus , et verus homo ; scilicet Creator simul , et creatura, infinita, et finita uti reipsa dicunt Catholici. Sed id absolute repugnat. Ergo etc. III. Incarnatio est opus *ad extra*. Sed ex

fide Catholica opera *ad extra* aeque pertinent ad omnes tres Personas Divinas. Ergo in vera contradictione sunt, cum credunt, solam Personam Verbi fuisse incarnatam, et non omnes simul.

23. ℟. Levia ista sunt, ut contradictionem in Mysterio Incarnationis evincere possint. Et quidem ad primum quod spectat. Æternus est Deus, et aeternitas definitur per interminabilis vitae totam simul, et perfectam possessionem. Et recte quidem. Etenim infinitus est Deus, et idcirco repugnat, ut mutationibus sit obnoxius. Sed in successione, quae nequit haberi sine mutatione, consistit tempus. Ergo repugnat, ut Deus tempori sit subjectus. Et propterea in Deo non est praeteritum, nec futurum, sed omnia ipsi sunt in actu. Ergo, quae ex parte nostra fiunt in tempore, uti est Incarnatio Divini Verbi, omnia respectu Dei semper sunt in actu.

24. Ad alterum. Ex hypotesi §. 12. quod ex duobus componentibus, quae communi lege essent personae, fiat unum, et propterea una persona; integrae, tunc et impermixte manent proprietates utriusque partis componentis, etsi post unionem una sit persona. Ergo in Christo, qui est una persona, eaque Divina, integrae, et impermixtae permanserunt proprietates Divinae, et humanae. Et propterea nihil mirum, si ipse ut Persona Divini Verbi, sit verus Deus, Creator, et infinitus, et ut homo sit creatura, et finitus.

Ad tertium sufficiunt, quae diximus §. 21.

CAPUT II.

Demonstratur adversus Judaeos, Messiam in lege promissum jam advenisse: Et hunc fuisse Jesum Nazarenum.

25. Duo in hoc cap. praestanda sunt. Primo demonstrandum est, frustra Judaeos adhuc expectare Messiam in lege promissum. Secundo, hunc Messiam fuisse Jesum Christum Mariae filium, quem sub Praeside Pontio Pilato antiqui Judaei crucifixerunt. Sed utrumque fusius demonstratum, et vindicatum fuit iu secunda parte primi libri harum Institutionum: et quidem primum prop. XVIII. et alterum prop. XIX. et sequent. Ergo properemus oportet ad secundam partem.

PARS II.

DEMONSTRATUR, IN CHRISTO FUISSE VERAM DIVINITATEM.

26. In Christo vere fuisse Divinitatem, hoc est Christi Personam esse Personam Divini Verbi, quae humanitatem assumpsit, praesertim negavit impiissimus Calvinus cum suis sectatoribus. Hinc non abs re videtur brevem texere historiam Socinianismi, praesertim quoad errores contra Christi Divinitatem.

27. Itaque Socinianismus dici potest ortum habuisse a Judaeis, qui Christum reputabant Fabri filium verum, et non putativum; ab Ebionitis, qui dicebant, eum-

dem Christum fuisse purum hominem; et etiam a Nestorio, qui Christum nomine solum dicebat Deum. Sed manifestius in Christum signa tulit Laelius Socinus saeculo XVI. qui omnes adoptavit errores Calvini, Lutheri, Melanctonis, et Bezae, et illis addidit errores Sabellii contra Sanctissimam Trinitatem.

28. Obiit Laelius Tiguri anno 1562, et Faustus Socinus ejus nepos, vindicatis sibi patrui scriptis, mirum quantum illa auxit in omni genere impietatum, maxime contra Redemptorem Christum, uti habemus ex illius commentariis in caput V. et VI. Matth., in initium Evangelii Joannis, et in caput VII. Epistolae Pauli Apostoli ad Romanos. Verum quoad Christi Divinitatem in opere, cui titulus, *Institutio Christianae Religionis*, docet, Christum secundum personam esse verum, et purum hominem, sed non ita appellari, quia virtute Spiritus Sancti ex Virgine conceptus fuit. Jam in caput primum Evangelii Joannis negat, Deum hypostatice sibi assumpsisse humanitatem in Incarnatione. Denuo in citato opere *Institutio Christianae Religionis* pag. 675. Dicit, Christum fuisse prophetam, sed antequam suo munere fungeretur evectum fuisse in Coelum, ubi a Patre fuit edoctus. Tandem quoad rem nostram in responsione ad praefationem Winki, ait, sibi videri, Divinum cultum praestandum esse Christo, sed tantum mediate, ita ut in ipso, veluti ministro adoretur Deus.

29. Quoad Christi Divinitatem ab haeresi Socini parum differt illa Pauli Samosateni, Faustini, et Sabellii. Illi unicam Personam agnoscebant in Divinis et Christum propterea dicebant purum hominem. Sabellius agnosce-

bat quidem Trinitatem Personarum in Divinis, sed quia negabat in Christo substantialem, et hypostaticam unionem Divini Verbi cum humanitate, idcirco Christum dixit esse purum hominem, quoniam in illo humanitas non subsistit subsistentia Divina, sed propria. Ex recensitis erroribus necessario sequutus est alter, quod scilicet dixerint, Mariam Christi Matrem non esse, nec dici posse veram Dei Matrem, et consequenter, eamdem omnimode praecessisse Christum, non secus, ac caeterae Matres suos praecedunt filios.

30. Itaque ad hos omnes debellandos errores in duo capita hanc secundam partem distribuimus. In prima demonstrabimus Christi Divinitatem. In secunda propugnabimus, Mariam Virginem veram esse Matrem Dei, et idcirco esse Christo posteriorem.

CAPUT I.

Christus est verus Deus.

31. Christi Divinitatem derident Gentiles, et Mahumetani: non agnoscunt Judaei: et plures haeretici negant. Sed quia contra Judaeos jam demonstratum fuit in altera parte prioris libri, Messiam ab ipsis expectatum jam advenisse, et illum fuisse Jesum Christum Nazarenum, propterea solum demonstrari opus est contra eosdem Messiam in lege promissum, qui jam advenit, esse verum Deum. Et propterea sit

PROPOSITIO II.

Messias per Prophetas promissus est verus Deus.

32. *Prob.* In Psal. CIX. legimus. *Dixit Dominus Domino meo : sede a dextris meis :* quo testimonio Christus Matth. XXII. v. 43 Pharisaeos revincit, Messiam non esse filium David, sed esse Deum. *Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens : Dixit Dominus Domino meo. Sede a dextris meis . . . Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est?* Item Isaias cap. IX. v. 6. loquens de Messia, ait: *Et vocatur nomen ejus, admirabilis, consiliarius, Deus.* Et cap. XXXV. v. 4. *Deus ipse veniet, et salvabit nos : tunc aperientur oculi caecorum.* Et cap. XLV. v. 15. appellatur, Deus absconditus. *Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator.* Rursus apud Jeremiam cap. XXIII. v. 6. habemus. *In diebus illis salvabitur Juda, et Israel habitabit confidenter : et hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus justus noster.* Et haec a voce hebraica *Jehova.* Tandem scriptum est Zachariae cap. II. v. 8. *Haec dicit Dominus exercituum : post gloriam misit me ad gentes . . . et cognoscetis, quia Dominus exercituum misit me.* Ex quibus sic argumentari licet. Dominus, de quo loquitur David, est Deus. Sed loquitur Domino, quem invitat, ut sedeat a dextris suis. Ergo et hic alter Dominus pariter Deus est. Sed, ut ipsi Judaei fatentur,

hic David loquitur de Messia. Ergo Messias est verus Deus, scilicet secunda Persona Sanctissimae Trinitatis, cui Deus Pater loquitur. Appellatur *Jehova*, idest Deus ab Isaia, et a Jeremia appellatur Dominus exercituum, idest Omnipotens, quod est Character solius veri Dei. Ergo Messias in lege promissus est verus Deus.

PROPOSITIO III.

Christus praestitit Matri Mariae

33. *Prob.* primo ex Scripturis. Sed monendum, quod, uti quisque ex se intelligit, quaestio non procedit respectu Christi humanitatis, sed de Persona ejusdem. Itaque in hoc sensu *Prob.* 1. ex Evangelio Joannis, in quo cap. I. scriptum est. *In principio erat, et Verbum erat apud Deum ... Et Verbum caro factum est.* Nemo unus de Haereticis inventus est, qui neget, hic Joannem loqui de Christo. Ergo Verbum, quod caro factum est, scilicet in utero Virginis humanitatem assumpsit, est Christus. Sed erat in principio, idest ab aeternitate, apud Deum, quinimo et erat Deus, *et Deus erat Verbum.* Ergo ab aeternitate praecessit Mariam. Item in eodem Evang. cap. VI. v. 38. sic de se loquitur Christus. *Descendi de Coelo, non ut facerem voluntatem meam, sed ejus, qui misit me.* Ergo Christus fuit in Coelo antequam descenderet in mundum, idest antequam fieret homo in utero Mariae. Rursus ibidem cap. VIII. v. 58. Christus de se dixit Pharisaeis. *Amen, amen dico vobis, antequam*

Abraham fieret, ego sum. Si fuit ante Abraham, multum certe praecessit Mariam. Et cap. XVI. v. 28 idem Christus de se dicit: *Exivi a Patre, et veni in mundum.* Ergo priusquam veniret in mundum, idest assumeret carnem a Virgine Matre, fuit in Coelo apud Patrem. Et apud eumdem Joannem cap. XVII. v. 5. sic Christus rogat Deum Patrem. *Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum, claritate, quam habui, priusquam mundus esset, apud te.* Ergo Christus fuit ante mundi creationem. Et tandem sic habemus in Epistola Pauli ad Galatas cap. IV. v. 4. *Ubi venit plenitudo temporis., misit Deus Filium suum, factum ex Muliere, factum sub lege.* Ergo Christus jam erat ante plenitudinem temporis, scilicet ante Incarnationem in utero Virginis Mariae.

Objectiones Socinianorum.

34. In Epist. ad Romanos cap. I. v. 2. sic Paulus loquitur de Christo. *Qui factus est ex semine David, secundum carnem.* Ergo, dicunt Sociniani, si Christus factus est secundum carnem, profecto in tempore factus est, et quidem cum a Matre conceptus fuit. Ergo fuit Matre posterior.

℟. Apostolus in allato loco loquitur de Christo respectu humanitatis, non vero respectu Personae, quae est Persona Verbi Patri Consubstantialis, et aeterni. Et requidemvera, Apostolus ab initio laudatae Epistolae se dicit servum Jesu Christi, et segregatum in Evangelium Dei, et illud sane Evangelium, quod ante pro-

miserat per Prophetas de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem. Quis hic non videt, loqui Apostolum, quasi de altero Filio Dei, de humanitate scilicet, quam assumpserat verus, aeternus, et suus consubstantialis Filius? Sed se dicit segregatum in Evangelium promissum per Prophetas. Ergo loquitur de Evangelio Messiae. Sed Messias in lege promissus, est verus Deus (§. 32). Ergo per Apostolum duplici modo Christus est Filius Dei, quoad Personam, quae est Divina, et consubstantialis Patri, et idcirco aeterna; et quoad humanitatem, quam in unitate Personae assumpsit, quam humanitatem nos quoque dicimus Maria posteriorem. Itaque Pauli testimonii sensus est. Secunda Persona Divina, quae est Filius Dei aeternus, et consubstantialis Patri, quia in unitate Personae assumpsit veram humanitatem, factus est quoque Filius Dei ex semine David.

35. Sed adde. Apostolus se dicit segregatum in Evangelium: et subdit, se accepisse gratiam, et Apostolatum, quippe ad obediendum fidei pro nomine ejus (Christi), et ad praedicandum Evangelium, nempe Christi doctrinam. Ergo doctrina Apostoli de Christo, est doctrina Evangelii. Sed in Evangelio Joannis expressis, et conceptis verbis habemus, Christum esse Verbum humana carne indutum, Verbum, quod apud Deum erat ab aeterno, et erat Deus: *In principio* (in aeternitate) *erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum . . . Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* (evang. Joan. cap. 1.) Ergo Doctrina Apostoli Pauli de Christi Per-

sona est, quod sit verus Deus, aeternus, Omnipotens etc. Et consequenter in objecto testimonio loquitur de humanitate, quam in tempore assumpsit.

36. Sed instant Sociniani. Falsum prorsus est, quod doctrina Evangelii Joannis sit, Christum esse verum Deum, et aeternum. Ergo si ex responsis doctrina Pauli est eadem, ac doctrina Evangelii, et maxime Joannis, eo magis sequitur, illius laudata verba ad Romanos indicare Christum, etiam quoad Personam, in tempore factum esse, et esse Maria posteriorem. *Prob. ant.* In Evangelio Joannis cap. X. v. 33. Christus respondens Judaeis, qui eum lapidare volebant, eo quod cum homo esset, volebat facere se Deum, dixit. *Nonne scriptum est in lege vestra: quia ego dixi, dii estis? Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi Scriptura quem Pater sanctificavit, et misit in mundum, vos dicitis: quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum?* Ex quibus sic Christus ut se justificaret, quod dixerat, *Filius Dei sum*, affert exempla Scripturarum, quae passim homines appellant Deos, illos scilicet, quibus sermo Dei factus est. Ergo et seipsum fatetur purum hominem, etsi majoribus favoribus a Deo distinctum.

℟. *neg.* illationem. Ut quisque ex se facile videt, Christus in objecto testimonio argumentatur, ut in Scholis dici solet, ad hominem; argumentatur a minori ad majus, et vero litterali sensu ducit consequentiam. Argumentatur ad hominem, quia contradictione revincit Judaeos, qui nullo scandalo legebant in Scripturis saepe homines appellari Deos, et illum tamen volebant

lapidare, quod se dixerat filium Dei. Argumentatur etiam a minori ad majus, quia si licet appellari Deos illos homines, quibus sermo Dei factus est, qui sunt Prophetae, quanto magis hoc nomen convenit ipsi, qui a Patre sanctificatus missus fuerat in mundum? Sed et vero litterali sensu inde ducit conclusionem. Et quidem prius jam dixerat, se habere Dei scientiam: *Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem* v. 15. Et dicens etiam in sequentibus, se habere potestatem ponendi animam, et potestatem iterum sumendi eam; hoc est propria virtute a morte resurgendi, clare ostendit, virtute Divina esse praeditum. Quinimo et manifeste se dixerat verum Deum v. 30. *Ego, et Pater unum sumus.* Et postquam, ut supra, argumentatus est, ne ullum dubium remaneret, quod vero sensu se dixerat Filium Dei, ita concludit. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis, et credatis, quia Pater in me est, et ego in Patre.* Nunquid clarius poterat Christus loqui de vera sua Divinitate?

37. Iterum instant Sociniani. In allato Joannis testimonio Christus dicit, se a Patre sanctificatum, et missum in mundum. Sed Deus essentialiter est sanctus, nec ullo modo majoris sanctitatis capax est, aut dici potest. Ergo Christus ex allato testimonio non est Deus, nec verus Dei Filius, sed simplex homo a Deo sanctificatus in utero Matris, et missus in mundum ad mirabilia patranda pro Dei gloria: unde majori jure, quam Prophetae, veluti tamen per adoptionem, dici potest Dei Filius, sed vere talis non est.

℞. Vera, et tuta regula interpretandi sententiam, et maxime Sacrarum Scripturarum, illa profecto est, ut non separatim sumantur aliqua verba, sed conferantur cum antecedentibus, et consequentibus et etiam, si opus fuerit, cum aliis locis parallelis. Videamus ergo verba antecedentia. Christus ipse ibidem ℣. 18 dicit, quod potestatem habet se ipsum resuscitandi a mortuis. Nunquid potestas ista potest convenire creaturis? Nunquid qui non amplius est, potest ex se in vitam redire? Ergo in hoc loco Christus dicit, se esse verum Filium Dei humana carne indutum, qui postquam mortuus fuerit, ipse sua potentia Divina revocabit se ad vitam. Item v. 28 dicit, se daturum esse vitam aeternam ovibus suis. Nunquid potestas ista potest convenire personae hominis. Ergo aperte Christus, se declarat verum Deum. Quinimo et v. 30 id manifestissime fatetur dicens: *ego et Pater unum sumus.* Idipsum, et quidem cum majori claritate, confirmat post verba in objectione allata. Etenim immediate subdit. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi, si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis quia Pater in me est, et ego in Patre.* Quid clarius desiderari potest? Si ex miraculis, quae sunt opera solius Dei, Christus conatur ostendere, Patrem esse in ipso, et ipsum esse in Patre: ergo evidentissime dicit, se quoad Personam esse Divinum Verbum, cui cum Patre, et Spiritu Sancto, una est Natura, et Essentia Divina. Et consequenter verba adducta in objectione a Socinianis, *quem Pater Sanctificavit, et misit in mundum*, vel in-

telligenda sunt de sanctificatione aeterna, quam ea de causa dicit accepisse a Patre, quia Persona Patris in una, unica Natura, Essentia, et Substantia Divina est fons, et origo totius Sanctissimae Trinitatis: vel intelligenda sunt de sola santificatione humanitatis, quae in tempore facta fuit, et ut placet ipsis Socinianis, in utero Virginis Mariae sanctificata.

38. Quoniam multum confert ad demonstrandum, Christum esse verum Deum, et quidem Personam aeterni Verbi, et non aliam; quinimo etiam unam in ipso fuisse Personam, et hanc non humanam, neque tertiam, sed Divinam, de quibus omnibus erit disputandum, multum, inquam, confert praemittere et propugnare praesertim adversus Felicem et Elipandum Episcopos Hispaniarum, eum esse verum filium Dei; idcirco et altera sit

PROPOSITIO IV.

Christus est verus Filius Dei, et nullimode dici potest adoptivus.

39. *Prob.* ex Scripturis. Apostolus in Epist. ad Romanos. cap. VIII v. 43 dicit: *Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati.* Et ibidem v. 32. *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Si ergo est proprius Dei Filius, et quidem non solum ut Persona Verbi, sed ut homo factus, secus quomodo, et quid, parcere potuisset Personae Divinae? dicendum, quod

Christus ita est verus Filius Dei, ut nullimode dici possit adoptivus. Item Matth. III v. 17. Sic Pater alloquitur Christum cum voce missa de Coelo: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Tertio: Joan. cap. XV. v. 15. Christus sic loquitur ad Discipulos: *Quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Sed cur non dixit a Patre nostro, sed potius a *Patre meo?* Profecto quia ipse est verus Filius Dei. Et ibidem v. 23. ipse Christus similiter dicit: *Qui me odit, et Patrem meum odit.* Sed ut praetermittam innumera ferme similia testimonia, duo alia proferam ex eodem Evangelio Joannis, quibus omnino occluditur os pestiferum Haereticorum. Et primo: in eodem cap. XV. v. 26 Christus ait Apostolis. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit.* Et sequenti cap. XVI. v. 14 de eodem Paraclito loquens dicit. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis. Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt: propterea dixi, de meo accipiet, et annuntiabit vobis.* Nullum quippe dubium, quod in primo testimonio Christus asserit Paraclitum veram Personam in Divinis, *qui a Patre procedit.* Et quoniam dicit, quod ipse illum mittet, et mittet a Patre, *quem ego mittam a Patre*, clarissime quoque significat, eumdem Paraclitum a se procedere, et se propterea esse verum filium Dei Patris. Si ergo Paraclitus est vera Persona Divina, et a Christo procedit, procul dubio Christus quoque est vera Divina Persona, scilicet Divinum Verbum, quod vera, aeterna, et consubstantiale generatione suam originem agnoscit a Patre.

Idipsum , et majori claritate , confirmat alterum testimonium , *Ille me clarificabit* etc. Etenim Paraclitus vera Persona Divina , ut supra dictum est , quoniam a *Patre procedit* , illa, quae annuntiabit, accipiet a Christo : *De meo accipiet*, *et annuntiabit vobis*. Ergo procedit etiam a Persona Christi. Sed qua ratione accipiet a Christo ? Quia quaecumque habet Pater, ea quoque habet Christus : *Omnia quaecumque habet Pater*, *mea sunt* , *propterea dixi* : *De meo accipiet.* Ergo Christus est imago consubstantialis Patris. Ergo est verus , et consubstantialis Filius Dei. Et id confirmatur invictissime in eodem capite v. 28. *Exivi a Patre* , *et veni in mundum* : *iterum relinquo mundum*, *et vado ad Patrem*.

40. Quae adduximus Sacrarum Scripturarum clarissima sunt , ut lis terminetur cum Haereticis , et veritas concludatur nostrae Thesis. Sed quid dicemus si ipsa ab eodem Salvatore apertis , et praecisis verbis , ex sententia Apostolorum , qui adhuc dubitabant de illius Divinitate , jam terminato fuit ? Et quidem post superius exposita verba , quibus Christus allocutus fuit Apostolos, ut corroboraret fidem illorum , et corda firmaret ad substinendas proxime futuras persecutiones , Apostoli e vestigio responderunt v. 29 : *Ecce nunc palam loqueris et proverbium nullum dicis. Nunc scimus*, *quia scis omnia*, *et non opus est tibi*, *ut quis te interroget* : *in hoc credimus* , *quia a Deo existi*. Ergo adeo clare Christus locutus fuerat de sua Divinitate ut Apostoli suum dubium deposuerint.

41. Et hoc ipsum habemus ex Evangelio Matth.

cap. XVI. Etenim v. 13 cum Christus interrogasset Discipulos suos: *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* et illi cum respondissent: *Alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam aut unum ex Prophetis*: statim Christus dixit illis: *Vos autem quem me esse dicitis?* Et respondens Simon Petrus dixit: *Tu es Christus, Filius Dei vivi.* Et Christus confirmavit hanc Petri responsionem, dicens: *Beatus es Simon Bar-Jona: quia caro, et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in Coelis est.* Sane nullum est, nec excogitari potest clarius, et firmius argumentum pro vera Christi Divinitate. Etenim hic ad propositum Christus interrogat Discipulos, quem dicunt homines esse Filium hominis, scilicet seipsum. Referunt illi varias opiniones hominum, et Christus clare omnes reprobat, propterea quod subdit: *Vos autem quem me esse dicitis.* Et hic Petrus respondens. *Tu es Christus Filius Dei vivi*; Christus adeo pro vera habet hanc Petri responsionem, ut illum appellaverit beatum, eo quod a Patre Coelesti fuerat edoctus: et insuper vere coelestibus, et divinis muneribus donaverit: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam . . . Tibi dabo claves Regni Caelorum: et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in Coelis etc.* Ergo nisi eo usque pervenerit temeritas Haereticorum, ut dicant, Christum manifeste mentitum fuisse, concludendum oportet, ipsum esse verum, naturalem, et consubstantialem Dei Patris Filium, Divinum scilicet Verbum, secundam Trinitatis Personam; et propterea nullimode dici posse Dei Filium adoptivum.

42. Haec ipsa veritas confirmari solet ex Conciliis ex decretis Romanorum Pontificum, et auctoritate Sanctorum Patrum. Sed nos institutionis brevitatem sectantes omnia praetermittimus; et paucis verbis nostram exponimus sententiam circa alteram scholasticam quaestionem, nunquid scilicet Christus dici possit Dei Filius adoptivus respectu humanitatis, quam in utero Virginis assumpsit.

43. Alicujus quidem momenti olim haec quaestio visa fuit, praesertim ex quo propter malitiam Haereticorum pluribus saeculis latuit definitio Concilii Francofurtensis, quae dicit, Christum nullimode dici posse Filium Dei adoptivum. Sed nisi in hoc mea me fallat opinio, quaestio isthaec est potius in verbis, quam in re: et ea de causa non statim finita fuit, quia ex litigandi genio nullus clare exposuit, et determinavit propriam sententiam. Itaque illi, qui respectu humanitatis tuebantur adoptionem, uti praesertim Durandus, sic argumentabantur. In Christo fuit vera anima humana, et verum humanum corpus, quod Divinum Verbum, virtute Spiritus Sancti assumpsit in utero Virginis: et nullus certe dixerit, nec cogitare potest, illam animam, corpus illud non esse creatum. Sed horrisonum pariter est dicere, creaturam esse, aut dici posse, verum, et naturalem Dei Filium. Ergo natura humana in Christo per adoptionem tantum, et sanctificationem dicitur, et est Filius Dei.

44. Recta quidem videtur hujusmodi argumentatio: sed vana, et inutilis, quia non facit ad rem. Etenim, qui contra sentiunt, non dicunt, quod sola humani-

tas in Christo seorsim a Persona Verbi considerata, fuit verus, et naturalis Dei Filius. Sed solum dicunt, Christum, idest Messiam, (Joan. cap. IV. v. 25.) esse verum, et naturalem Filium Dei, et nullimode dici posse Filium adoptivum: et id nequidem respectu humanitatis, quin addant separatim, aut conjunctim consideratae cum Persona Divini Verbi. Et quamvis ad terminandam litem clarius potuissent loqui; recte tamen ita dicunt. Etenim in Christo scilicet Messia, etsi fuerit vera humanitas, attamen non fuit persona hominis sed sola Persona Divini Verbi, Filii Consubstantialis Patris, quod Verbum in unitate suae Personae humanitatem assumpsit. Sed nequit dici Filius, qui non est persona. Ergo Christus, qui non est persona humana, nullimode dici potest adoptivus Dei Filius. Et ecce resoluta tanta quaestio.

PROPOSITIO V.

Christus est verus Deus.

45. *Prob.* In priori lib. nostrarum Institutionum prop. XVIII. §. 132 demonstravimus, et vindicavimus contra Judaeos, Messiam in lege promissum jam advenisse. Et propositionibus XIX XXII et XXIV. demonstratum quoque fuit, illum fuisse Jesum Nazarenum, quem Judaei crucifixerunt. Sed in hoc libro propositionibus II et III demonstravimus, Messiam in lege promissum esse verum Deum, et Matri Mariae praestitisse. Quinimo et propositione IV. fusius de-

monstratum est, Christum esse Dei Filium, et nullimode dici posse Filium adpotivum, nequidem respectu humanitatis assumptae §. 43 et 44. Ergo Christus est verus Deus: et quidem Verbum, secunda scilicet Persona Sanctissimae Trinitatis, quod juxta Joannis Evangelium caro factum est, et habitavit in nobis.

46. Satis, et plusquam satis videtur demonstrata nostra Catholica thesis: et adeo quidem, ut superfluum prorsus sit afferre alia pene innumera Sacrarum Scripturarum non minus clara testimonia, quoniam revera ipsa dici potest veluti corollarium eorum, quae prolixe disputata sunt. Attamen pro confirmatione tantae veritatis, pauca visum est addere ex miraculis, et decretis Conciliorum. Et quidem quod ad miracula spectat, nullus certe, uti in priori libro demonstravimus, dubitare audebit, quin vera sit doctrina, quae veris miraculis sit confirmata. Quippe vera miracula sunt operationes contra, vel saltem supra leges naturae, et quae propterea a solo Deo fieri possunt. Sed repugnat omnino, ut Deus, qui est veritas per essentiam, sive directe, sive indirecte falsum confirmet. Ergo, si vel maxime velimus, non possumus dubitare de veritate illius doctrinae, quam videmus miraculis confirmatam. Sed tota Christi doctrina, ut hactenus demonstratum est, in eo est, ut probet sui Divinitatem; et ipsa eadem stupendissimis miraculis fuit confirmata. Ergo etc. Et quidem, quis dubitare poterit de tot mortuis ad vitam revocatis a Christo, et Discipulis ejus? de aqua in vinum conversa? de... Sed quid nitor numerare Christi, et Discipulorum miracula, si illis pleni sunt libri evangelici, et Actuum Apostolo-

rum! Si ergo Christi doctrina est de ejus Divinitate, et ipsa veris miraculis confirmata; de quibus non licet dubitare, quoniam contra illa non reclamarunt sui infensissimi hostes Judaei, et praesertim invidi Scribae, et Pharisaei, mirum omnino videtur, quomodo fieri potuerit ut perditi nonnulli haeretici dubitare potuerint de Christi Divinitate.

47. Sed placet quoque aliquid addere ex auctoritate Conciliorum. Et sane. In secundo libro nostrarum Institutionum abunde demonstravimus, Christi Ecclesiam nullatenus in fide deficere posse. Et quoniam Ecclesia docens repraesentatur à Conciliis Oecumenicis, idcirco ista nullatenus errare possunt in iis, quae ad fidem, et etiam mores pertinent. Ergo certissima fide tenendae sunt omnes veritates, quae ut dogmata fidei in Conciliis Oecumenicis definiuntur, et nobis credenda proponuntur. Sed innumera quasi Concilia praecisis verbis credendum proponunt ut essentiale Christianae Religionis Dogma illud de Christi Divinitate. Et quidem in quarto saeculo primum generale Concilium, scilicet Nicaenum primum habitum anno 325 sub Sylvestro SS. Pontifice, et Constantino Magno Imp. praesertim contra Arianos, summam nostrae fidei proponit, dicens. *Credo in unum Deum Patrem ... Et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei Unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia Saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem, descendit de coelis, et incarnatus est de Spiritu Sancto, ex*

Maria Virgine, et homo factus est. Procul dubio nequit clarius, et apertius exprimi Christi Divinitas. Hic enim Christus appellatur verus Deus, Patri consubstantialis, aeternus, genitus, non factus, et Creator omnium. In quinto Saeculo Concilium Ephesinum congregatum anno 431. sub Coelestino P. et Theodosio Jun. Imp. contra Nestorium, in epistola ad ipsum Nestorium: et in eodem saeculo an. 451. Concilium Chalcedonense contra Eutychetem congregatum sub Leone Magno P., actione secunda; utrumque eamdem confirmant fidem de Christi Divinitate. In Sexto Saeculo quintum generale Concilium, scilicet II. Constantinopolitanum, canone primo asserit tres Personas unius essentiae. Et can. XXII. damnavit veluti haereticos Arium, Eunomium, aliosque, qui Verbi Incarnati negabant Divinitatem. Et sic pariter in Septimo Saeculo, Concilium Generale VI. actione XVII.: in Saeculo octavo, Concilium VII. item Generale: in nono Saeculo, VIII. Concilium pariter Generale; et sic similiter in sequentibus Saeculis: et tandem Concilium Tridentinum sessione III. ubi confirmat, et proponit Symbolum Christianae fidei.

Solvuntur objectiones Haereticorum.

48. *Ob.* Christus Joannis cap. XVII. v. 3 sic alloquitur Patrem. *Haec est autem vita aeterna: ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.* Ergo solus Pater est verus Deus. Et propterea falsa est propositio, in qua Christus asseritur verus Deus.

℞. Verba Christi in objectione allata, juxta communem Theologorum sententiam, non excludunt pluralitatem personarum in unica Natura, Essentia, et Substantia Divina, sed dumtaxat pluralitatem Deorum in sensu Gentilium: ita ut sensus sit. *Qui es solus Deus*, non verò, *qui solus es Deus*; secus enim non quadrarent sequentia Verba, *Et quem misisti Jesum Christum.* Unde Augustinus sic laudata verba disponit, et explanat. *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te, et quem misisti Jesum Christum, esse solum verum Deum.* Et requidem vera, si Christus ipse, praesertim apud Joannem cap. XV. ut dictum est §. 35 clarissime se dicit verum Filium Dei, quomodo hic in manifestam se daret contradictionem dicendo, quod solus Pater est Deus? Nunquid adeo levem, aut tam labilis memoriae dicemus Christum? Ceterum dicens Christus laudata verba, duo statuit fundamenta suae Religionis, fidem scilicet in unum Deum, et Incarnationem Divini Verbi: quasi dicere voluerit. Haec absolute necessaria sunt ad aeternam vitam assequendam, ut scilicet cognoscant in Patre, qui est principium, et fons Trinitatis, unum Deum, et simul cognoscant Incarnationem Divini Verbi, quod est secunda Persona Trinitatis in unitate Naturae Divinae, quod tu misisti. Et quidem, si Jesus Christus a Patre est missus; si eadem necessitate, qua Patrem, illum cognoscere debemus, ut gloriam assequamur aeternam, quomodo non aeque, ac Pater, ipse Deus est, secunda scilicet Trinitatis Persona? Ergo allatum in objectione testimonium confirmat potius, quam infirmat nostram Catholicam thesim.

49. *C.* Atqui allatum testimonium eo sensu intelligendum est, ut solus Pater sit Deus, et Jesus Christus sis vera creatura, etsi singularibus gratiae donis distincta. Ergo etc. *Prob. min. subs.* In eodem Joannis Evangelio cap. XIV. v. 28 idem Christus dicit. *Vado ad Patrem : quia Pater major me est.* Ex quo sic argumentari fas est. Nihil esse potest Deo majus. Sed ex confessione ipsius Christi Pater est major. Ergo allatum testimonium etc.

℟. *dist. min.* Sed ex confessione ipsius Christi Pater est major quoad humanitatem, *concedo* ; quoad Personam, *nego min. et cons.* Quoniam, ut infra dicemus, in Christo integrae servatae sunt Natura Divina, et humana, nec sunt permixtae, et juxta Logicae regulas, ubi sunt diversae, et impermixtae naturae, diversa quoque sunt praedicata ; idcirco Christus saepe diverso modo de seipso loquitur, modo scilicet ut est Deus, idest secunda Persona Trinitatis, et modo ut est homo, et tantum Deo inferior, quantum creatura est inferior Creatore. Ut praeteream innumera prope testimonia, quibus se verum Deum dicit, sufficiant quae leguntur in eodem objecto cap. XIV. Joannis. Ibi enim v. 6. Christus cum dixisset Thomae. *Ego sum via, et veritas, et vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis, et amodò cognoscetis eum, et vidistis eum.* Et ad haec cum illum rogasset Philippus : *Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis* : Christus clarissime laudata sua verba explanans ait. *Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me?* Sed ad quid re-

sponsio isthaec petitioni Philippi, qui rogat, ut Patrem Discipulis ostendat? Vera quidem, et adaequata responsio: quia Christus respectu suae Personae Divinae, idem, et unus Deus est cum Patre: scilicet Divinum Verbum, secunda Persona Trinitatis, Filius Consubstantialis Patris. Et propterea cum una sit Natura, Essentia, et Substantia Divina in se Christo, et Patre, fieri non potest, ut quis Christum cognoscat, quin cognoscat etiam Patrem: et idcirco pergit: *Philippe, qui videt me, videt et Patrem. Quomodo tu dicis: ostende nobis Patrem? Non creditis, quia ego in Patre, et Pater in me est?* Numquid clarius poterat Christus suam declarare Divinitatem? Sed quoniam est quoque filius hominis, et integra in ipso manet humana natura, idcirco aliquoties, ut in objecto testimonio, se dicit etiam Patre inferiorem. Ceterum, et etiam quoad Personam Divinam, lato saltem sensu, recte accipi possunt objecta verba, *Pater major me est*: Quoad originem scilicet, quam Persona Verbi, quod est Christus, habet a Persona Patris. Etenim dicere, respectu tantum originis, non vero quoad Naturam Divinam, et perfectiones; Personam Patris majorem aliabus duabus Personis, fidei non officit orthodoxae: sicut non officit dicere, Filium mitti a Patre, non quidem auctoritate, sed origine.

50. *C.* Atqui Christus allata verba proferens, se in omnibus dicit esse minorem Patre, et confitetur etiam, se non esse verum Deum, sed creaturam. Ergo etc. *Prob. m. subs.* Christi Verba, quae in responsione attulistis: *Non creditis quia ego in Patre, et Pater*

in me est, ex sequentibus clare indicant, Christum nullimode esse Deum, sed purum hominem, etsi peculiari gratia a Deo donatum, ut justitiam promoveret et profligaret vitia: etenim e vestigio subdit Christus ipse: *Verba, quae ego loquor vobis, a meipso non loquor. Pater autem in me manens, ipse facit opera.* Ex quibus sic licet argumetari. Si Christus esset vera Persona Divina humanitate induta, ipse atique per se, et a se omnia operaretur, et quidem mirabilia ut Deus, et naturalia ut homo. Sed ex allatis verbis mira, quae loquitur, et operatur, omnia sunt a Patre. Ergo Deus ipse non est, sed purus homo, peculiari gratia a Deo donatus.

℟. *neg. min.* Utque quia Christus Deus est, et homo, modo loquitur de se, ut est Deus, et modo ut est homo. Dum dicit Philippo. *Qui videt me, videt et Patrem.... Non creditis, quia ego in Patre et Pater in me est?* loquitur de se, ut est secunda Persona in Divinis. Et cum dicit: *Verba, quae ego loquor vobis, a me ipso non loquor. Pater autem in me manens facit opera*, loquitur de se, ut est homo. Quod si interrogemur a Socinianis, cur non potius dixerit Christus: *Verba quae loquor, ut homo; non ut Deus* etc. iterum dico, quod Pater est origo, et fons totius Trinitatis, et Persona Christi, scilicet Divinum Verbum, ab aeterno genita est a Persona Patris, et illius est imago Consubstantialis, quia una, et eadem est illis Natura, et Essentia Divina. Itaque propterea, quasi per antonomasiam, Christus volens significare Naturam Divinam, exprimit Personam Patris. Quapropter

sensus verborum Christi est: *Verba, quae loquor vobis, non loquor ut homo, sed ut Deus. Deus, qui meam humanitatem terminat, illam in unitate Personae verbi assumens, facit opera.*

51. *C.* Atqui ex iterum laudato cap. XIV. Joannis deducitur, Christum esse purum hominem, et nullimode dici posse Deum. Ergo etc. *Prob.* Christus finem faciens suis praedictionibus, quibus suadere nititur suis Discipulis, se peculiari divina gratia, et munere fuisse a Deo donatum, sic concludit (ib. v. 30): *Jam non multa loquar vobiscum, venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam. Sed ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Surgite, eamus hinc.* Ex quibus sic argumentantur Sociniani. Christus hic dicit, quod princeps hujus mundi in ipso non habet quidquam, quia omnia servat mandata Patris, scilicet Dei. Ergo se subjectum fatetur principi hujus mundi, a quo ideo non timet, quia totam servat Dei legem. Ergo non est Deus, sed purus homo.

℟. Mirum sane! Quod magis firmat nostrum Catholicum dogma de Christi Divinitate, Sociniani conantur vertere in suam labentem causam. Itaque in allato cap. XIV. Joannis Christus totus est in firmando animum suorum Discipulorum ut fortite perferant futuras mundi persecutiones; et praesertim fimat cum praedictione futurorum, ut sic cum omnia verificata fuerint, non fluctuet illorum fides: *Et nunc dixi vobis* (ib. v. 29), *priusquam fiat, ut cum facum fuerit, credatis.* Deinde cognoscens, procul dubio scientia Divina, jam ad-

ventare principem hujus mundi , Diabolum , qui per suos ministros , scilicet Judam proditorem , cum cohorte , quae illi data fuerat a pontificibus , et pharisaeis , ut Christum comprehenderet , et ligaret , statim subdit : *Jam non multa loquor vobiscum , venit enim princeps mundi hujus , et in me non habet quidquam.* Quomodo , quaeso , Diabolus princeps hujus mundi non habet quidquam in Christo , si Christus fuisset purus homo ? Numquid non omnes sub potestate sunt ? Ergo ex allato testimonio potius deducitur , Christum esse verum Deum , et jure propterea sub nullius potestate positum : et item respectu humanitatis assumptae , in nihilo deficere posse. Quapropter hac ratione quoque princeps hujus mundi in Christo non habet quidquam. Sed nihilominus , ut ostenderet , se , ut secundam Personam Trinitatis, ab aeterno seipsum obtulisse pro redemptione hominum , et uti hominem etiam voluntarie , et non coactum , se offerre cruciatibus et morti , ita animose concludit : *Sed ut cognoscat mundus , quia diligo Patrem , et sicut mandatum dedit mihi Pater , sic facio : surgite , eamus hinc.* Quid aliud inde deduci potest , nisi quod voluntarie , et alacriter Chistus se offert morti pro salute hominum ?

52. *C.* Atqui ex recitatis verbis sequitur , Christum esse hominem , et non Deum. Ergo etc. *Prob.* Ex repetitis verbis Christus dicit , *ut cognoscat mundus , quia diligo Patrem* (Deum). Ergo est purus homo , qui innocens pro Deo subiens mortem , ostendit quanto amore prosequitur Deum ipsum. Et hic dicit quoque , quod appetens mortem , facit juxta mandatum , quod

illi dederat Pater, scilicet Deus. Ergo est purus homo, fidelis subditus, et perfecte obediens.

ᴚ. Utique et ut Deus, et ut homo, vere dicit Christus, quod amat Patrem. Ut Deus, scilicet secunda Persona, amat Naturam Divinam, quae una, et eadem est in se, et in Patre; et amat quoque Personam Patris, quia quoad Personam ipse procedit a Patre, et illius est imago consubstantialis. Amat autem ut homo, quia cum sua humanitas in unitate Personae Divinae assumpta sit ab Æterno Patris Verbo, ita perfecte amat Deum, ut in nihilo possit deficere. Quod ad alterum spectat, dicimus, quod pariter et ut Deus, et ut homo vere Christus dicit, se facere juxta mandatum Patris. Sed ut Deus, non facit madatum quasi subditus, sed ut Persona secunda a Prima procedens, eodem certe sensu, quo secunda persona a Prima dicitur missa. Ut homo autem, vere ut subditus dicit, se facere mandatum Patris, quod tamen non alio sensu est accipiendum, quam si dicatur, Humanitatem in Christo perfecte in omnibus obedit Divinitati ejusdem. Concludendum igitur etc.

53. Plura alia objiciuntur a Socinianis, quorum praecipua sunt. I. In Evang. Lucae cap. XVIII. v. 19. Christus cum appellatus fuisset bonus Magister, respondit. *Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi solus Deus.* Si ex sententia ipsius Christi, solus Deus bonus est, et ipse non est bonus, quomodo verus Deus? II. Matth. cap. XX. v. 23. Christus duobus Filiis Zebedaei, qui expetebant sedere unum ad dexteram, et alterum ad sinistram ejus, sic respondit. *Sedere autem*

ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo. Ergo Christus non erat Deus, secus ipse cum Patre illis aeternam gloriam dare potuisset: et eo vel magis, quod illi jam responderant, se paratos esse adimplere conditionem, quam Christus ipse apposuerat, scilicet si bibituri essent suum calicem. III. Apostolus in prima epistola ad Timotheum cap. II. v. 5. scribit. *Unus enim Deus, unus et Mediator Dei, et hominum, homo Christus Jesus.* Si Christus est Mediator Dei nullimode dici potest Deus: secus enim esset Mediator sui ipsius. Potius igitur dici debet creatura adeo peculiari gratia, et Sanctitate donatus, ut liber ipse omni culpa, etiam illa originis, quasi amicus rogaret Deum pro salute humani generis. Tandem idem Apostolus ad Colossenses cap. I. v. 15. loquens de Christo, vocat illum primogenitum omnium Creaturarum. *Primogenitus omnis creaturae.* Ergo Christus etiam est creatura, etsi prima quia omnium charismatum dono fuit a Deo cumulatus.

54. ℟. Et quidem ad I. dicimus, quod ibi Christus non negat, se esse Deum, sed solum redarguit Principem, qui cum putaret, Christum esse purum hominem, illum tamen appellat bonum, cum vere bonus, et quidem per essentiam, sit solus Deus. Nihil ergo ex allato Lucae testimonio deduci potest in favorem Socinianorum.

55. Ad alterum respondemus, quod ideo sic Christus locutus est, quia imprudenter prorsus Mater Zebedaeorum postulaverat ab ipso. *Dic, ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad si-*

nistram in regno tuo. Igitur Christus, ut illam doceret, quod ad acquirendum regnum Coelorum requiruntur bona opera facta sub auxilio gratiae, propterea respondit. *Nescitis, quid petatis: potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Item, quia non solum expetebant Christi regnum, sed etiam primam sedem in illo. *Ut unus* (sedeat) *ad dexteram tuam* etc. idcirco, etsi respondissent, se posse bibere calicem; nihilominus Christus respondit, quod quidem biberent calicem, sed non propterea primas sedes tenerent, quoniam id non erat in potestate sua, quatenus erat homo, nec quatenus etiam Redemptor, sed pendebat ab aeterna Dei praedestinatione: *Sed quibus paratum est a Patre meo.* Si paratum a Patre, et quidem meo, et non nostro, paratum quoque a Filio, et Spiritu Sancto, quia in tribus una est Natura, et Essentia Divina.

56. Ad tertium respondemus primo retorquendo, ut dicitur, argumentum. Si Christus ex Apostolo est Mediator Dei, et hominum. Ergo non est purus homo; alioquin esset Mediator sui ipsius. Secundo dicimus, quod in nihilo laeditur fides catholica, dum credit unum Deum, et unum Mediatorem Dei, et hominum, Christum Jesum. Etenim Christus ratione Personae, quae est Persona Verbi, est Deus: et est Mediator ratione naturae humanae a Verbo assumptae, quia illius actiones, virtute hypostaticae unionis, sunt infiniti meriti, et valoris, ut satisfieri possit Divinae justitiae pro infinita injuria illi allata ab hominibus.

57. Ad ultimum, primo dicimus, quod *primogenitus* in Scripturis Sacris hoc solum indicat, scilicet nul-

lum alium fuisse ante illum genitum, etsi nec postea genitus sit. Unde Lucae cap. II. v. 7. *Et peperit Filium suum primogenitum*; etsi nullus alius postea ab illa fuerit genitus. Ergo Christus cum a Paulo dicitur *primogenitus omnis creaturae*, non sequitur fuisse post illum alios genitos ejusdem naturae. Quinimo, quia dicitur *primogenitus omnis creaturae.* Plane sequitur, quod non fuit genitus in tempore, sed ab aeterno ex substantia Patris. Etenim cum tempus nihil aliud sit, nisi successio, nullatenus concipi potest ante res finitas, uti sunt omnes creaturae, et necessario incipit statim ac incipiunt creaturae, quae ut finitae, essentialiter sunt in successione. Sed ex Apostolo Christus genitus fuit ante creaturas. Ergo ab aeterno fuit genitus ex substantia Patris. Hoc indicant verba antecedentia: *Qui est imago Dei invisibilis.* Et clarius confirmant subsequentia: *Quoniam in ipso condita sunt universa in Coelis, et in terra invisibilia, et visibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates: omnia per ipsum, et in ipso creata sunt.* Profecto si est imago Dei. Ergo est ipsum aeternum Divinum Verbum. Si in ipso condita sunt universa: si omnia per ipsum, et in ipso creata sunt. Ergo est Creator, et unus Deus cum Patre.

CAPUT II.

Num Maria, etsi Christi posterior, sit vera Mater Dei: et quae illius privilegia inde sequantur.

58. Omnes, qui Christi negarunt Divinitatem, necessario quoque negarunt, Mariam esse veram Dei matrem Θεατοκον. Ex ipsis primus numeratur impius Nestorius, qui dicebat, Beatam Virginem nullimode appellari posse Deiparam, sed solum dici debere Christiparam. Hanc ipsam haeresim profitentur Sociniani, ut qui majori conatu, ut supra vidimus, Christi inficiati sunt Divinitatem. Non defuerunt et alii, qui in eamdem lapsi sunt impietatem, ex eo, quod duplicem in Christo propugnantes Personam, dicebant, Mariam solum generasse personam humanam, et idcirco esse Matrem Christi, quatenus homo ille est, non vero Deus.

59. Quemadmodum quisque ex se videt, hoc ineffabile Mariae privilegium, ut scilicet sit vera Mater Dei, est fons, et causa omnium gratiarum, et privilegiorum quibus a Deo fuit cumulata. Profecto nequidem suspicari possumus, Deum non effudisse in illam totum thesaurum suae infinitae bonitatis, ut sic, quantum fieri potuerit, dignam redderet tanto ineffabili Divino dono, ut in carne conciperet, quem sibi consubstantiale Pater mente conceperat. Ordo igitur postulat, ut prius in Maria vindicemus Divinam Maternitatem. Et propterea sit de fide

PROPOSITIO VI.

Beatissima Virgo Maria vere , et proprie appellanda est Deipara.

60. *Prob.* 1. ex Scriptura. Apostolus ad Rom. cap. IX. v. 5. loquens de Christo , ait. *Quorum* (Israelitarum) *Patres et ex quibus est Christus secundum carnem , qui est super omnia Deus benedictus in saecula.* In hoc loco Christus secundum carnem asseritur ex Patribus Israelitis. Ergo eo magis est Filius Mariae. Sed asseritur quoque verus Deus. Ergo Maria quia vera Mater illius , est quoque vera Mater Dei. Et quidem talis appellata fuit ab Elisabeth , Lucae cap. I. v. 43. *Et unde hoc mihi , ut veniat Mater Domini mei ad me ?* Item in eadem epistola cap. I. v. 3. habemus de Christo. *De Filio suo , qui factus est ex semine David secundum carnem.* Et ad Galatas cap. IV. v. 4. idem Apostolus scribit. *At ubi venit plenitudo temporis , misit Deus Filium suum , factum* (Graece genitum) *ex muliere.* Si ergo Filius Dei est Christus , et factus est ex semine David , scilicet ex Matre Maria. Si Christus est Filius Dei , et a Patre missus , et in tempore genitus ex muliere , scilicet ex Maria. Ergo Maria , quae est vera Mater Christi , vere quoque appellanda est Deipara.

61. *Prob.* 2. ex Symbolo Apostolorum Concilii Nicaeni , et S. Athanasii. Itaque in illo confitemur. *Et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei u-*

nigenitum. Et ex Patre natum ante omnia saecula Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri etc. En Christus verus Deus. Sed ipse idem asseritur verus Mariae Filius, quia ex virtute Spiritus Sancti vere ex Maria Virgine incarnatus est, et factus est homo. *Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est.* Ergo si Christus verus Deus, vere carnem accepit in utero Virginis Mariae, et homo factus est, quomodo non verus Filius Mariae, et Maria vera Mater illius? Nunquid, ex quo Christus a Maria non accepit Divinitatem, sed solam humanam carnem, idcirco non dicendus erit verus Mariae Filius? Sed et nonne Matres omnes humanam tantum carnem suis partubus ministrant, et nihilominus verae illorum Matres sunt, et dicuntur, etsi non subministrent animam, quae est princeps pars hominis? Ergo similiter Maria vera Mater dicenda est Christi, et ut Deus, et ut homo est Christus, etsi illi solam humanam carnem subministraverit, eodem certe modo, quo caeterae mulieres sunt verae Matres suorum Filiorum, quamvis solam carnem illis ministrent. Quinimo et potentiori ratione, quia Maria ipsa sola, ex virtute Spiritus Sancti, Christum concepit, et non sic caeterae Matres. Et id quidem maxime notandum, quia si Christus non esset verus Filius Mariae, et Maria vera Mater illius, quoniam Christus non habuit Patrem, non vere dici posset Filius hominis, uti per antonomasiam ipse se appellabat.

62. Id confirmatur ex Conciliis Oecumenicis, quorum doctrinam nullus dubitat, quin sit de fide, quo-

niam in illis universa repraesentatur Christi Ecclesia, quae est infallibilis. Itaque in Concilio Ephesino non solum Beatissima Virgo conclamata fuit *Theotocos*, idest vera Dei Mater. Sed publice, ut haeretica damnata fuit sententia opposita: sicut etiam fuit damnata in Concilio Chalcedonensi, ubi Theodoretus, et Ibas coacti fuerunt revocare, et damnare suam oppositam sententiam. Idipsum definitum fuit in quinto Concilio Generali, in quo anathemate damnantur illi, qui dicerent, Virginem Mariam non esse Deiparam, et Concilinm Chalcedonense non agnovisse hanc fidei veritatem. Etenim sic habetur in Canone VI. *Si quis abusive, et non vere Dei Genitricem dicit Sanctam, gloriosam semper Virginem Mariam; vel secundum relationem quasi homine puro nato, sed non Deo Verbo, et nato ex ipsa. Et calumniatur sanctam Chalcedonensem synodum, tanquam secundum istum impium intellectum, quem Theodoretus execrandus adinvenit, Dei Genitricem Virginem dicentem: vel qui hominis Genitricem vocat, anathema sit.*

63. Et ex inde patet, hanc eamdem esse sententiam omnium Ss. Patrum, et propterea esse veram Divinam, et Apostolicam Traditionem: unde sufficit si enumeremus tantum Patres priorum saeculorum, qui floruerunt ante supra dicta Concilia. Et quidem in primo saeculo Ignatius in epistola ad Ephesios scribit. *Deus noster Jesus Christus a Maria in utero gestatus est.* In secundo saeculo Irenaeus lib. II. cap. XXXI. ait. *Verbum existens ex Maria, quae adhuc erat Virgo, recte accipiebat generationem Adae recapitulationis.*

In tertio saeculo Tertullianus lib. *de Carne Christi* cap. XX. ; et Athanasius lib. V. contra Arianos eamdem confirmant veritatem. In saeculo quarto Basilius homilia XXV. *de humana Christi generatione* vocat Beatissimam Virginem *Theotocon*. Gregorius Nazianzaenus Oratione XXXV; et Chrysostomus homilia XI. in Joannem idipsum docent. In quinto saeculo Augustinus in caput III. Joannis loquens contra Haereticos ait. *Nullus vobis corrumpat hanc fidem . . . Si enim falsa Mater , falsa mors , falsa vulnera passionis*. Et Cyrillus Alexandrinus anathematismo I. scribit. *Si quis non confitetur , Emmanuelem verum Deum esse, et ob id Sanctam Virginem Deiparam: genuit enim illa Incarnatum Dei Verbum secundum carnem ; anathema sit.* In saeculo sexto Facundus Herminianensis lib. I. cap. IV. ; et Faustus Regiensis tomo III. Biblioth. Patrum mirifice eamdem propugnant veritatem. Tandem in saeculo septimo Joannes Damascenus lib. I. cap. XII. sic argumentatur. *Si Dei Genitrix , quae genuit , prorsus Deus , quem illa genuit. Sed idem homo etiam est omnino. Qui enim ex muliere generatur Deus , qui ante saecula extitit , nisi homo fiat ?*

64. Confirmatur denique breviter theologica ratione. Ut hactenus nimis forsan profuse , demonstratum est , Christus est verus Deus , et verus consubstantialis Dei Patris Filius , et nullimode dici potest Filius adoptivus (§. 39. et 45). Sed nullus eo temeritatis , et impudentiae pervenire poterit , ut neget , Christum ex Maria vere genitum , et in lucem editum fuisse , scilicet

esse verum illius Filium. Ergo Maria vere appellanda est Deipara.

Solvuntur objectiones.

65. *Ob.* Maria generans suum Filium, qui fuit Christus, non generavit illius Divinitatem; sed solam humanam carnem. Ergo hominis, non Dei, dicenda est Mater.

℟. *neg. cons.* Itaque tametsi Maria non generaverit Divinitatem, quia tamen Verbi Persona in illius utero carnem assumpsit, et quidem ex carne Virginis, Maria vere dicitur generasse Divinam Personam humana carne indutam. Et Divinum Verbum propterea duplici modo dicitur generatum: generatum ab aeterno, ex mente Dei Patris, ut est purus Deus, et generatum in tempore ex Virgine Maria, ut est Deus humanam carnem assumens. Et quidem, verus filius dicitur et est ille, qui ex muliere carnem accipit, et ab illa nascitur, etsi ab eadem animam non recipiat. Sed Christus ex Maria accepit carnem, et ab eadem, ut Deus factus homo, natus est. Ergo est verus Mariae Filius, et Maria vera Mater illius. Sed Christus est verus Deus. Ergo Maria est vera Mater Dei.

66. *C.* Atqui Maria dicenda est Mater hominis, non vero Dei. Ergo etc. *Prob.* Christus duplici modo considerari potest, ut Deus ab aeterno generatus a Patre, quo sensu nihil habet a Maria, et ut homo in tempore a Maria generatus, et hoc in sensu nihil carnis pariter habet ex substantia Patris. Ergo eodem modo, quo in primo sensu est verus Filius aeterni Patris, eo-

dem ipso in altero sensu est verus Filius Mariae. Sed in primo sensu solum ut Deus est Filius Dei Patris : ergo pariter solum ut homo est Filius Mariae.

℟. Magna fallacia irrepsit in expositam ratiocinationem. Etenim cum Christus, ut Deus, dicitur a Patre genitus, non supponitur existens priusquam generaretur, sed semper genitus ab aeterno : sed contra, supponitur existens, et quidem ab aeterno, cum, ut homo, generatus fuit in tempore a Maria. Et exinde hoc sequeretur absurdum, scilicet : Divinum Verbum consideratum ut divisum a carne, quam in tempore assumpsit, generatum est a Patre : caro, quam Divinum Verbum assumpsit, ab ipso Divino Verbo separatim considerata, generata fuit a Maria. Sed quaero, Verbum carne indutum a quo fuit generatum ? Quod idem est, ac dicere : sed a quo Divinum Verbum a Patre generatum humanam carnem assumpsit? Ergo potius ratiocinatio procedere debet sequenti modo. Christus est Divinum Verbum humana carne indutum : ut simpliciter Divinum Verbum genitum est a Deo Patre, et ut Verbum Incarnatum genitum est a Maria. Sed ut simpliciter Verbum est verus Filius Patris. Ergo ut in tempore Incarnatum similiter est verus Filius Mariae : et consequenter Maria est vera Mater Dei.

67. *C.* Atqui hominis, et non Dei, Maria dicenda est Mater. Ergo etc. *Prob.* Si Maria esset vera Mater Dei, ex quo Divinum Verbum in illius utero humanam carnem assumpsit, id esset, uti responsum est, quia ipsa Divinum Verbum, quod Pater genuit ut simpliciter Deum, ipsa genuisset ut Incarnatum. Sed id est

maximum absurdum. Ergo etc. *prob. min.* Si id esset, Maria foret aequalis Patri, quinimo et aliquo modo major, quoniam idem, ac Pater, genuisset Divinum Verbum, et etiam Incarnatum. Sed id est maximum absurdum. Ergo absurdum quoque est dicere, quod Maria genuit Incarnatum idem ipsum Verbum, quod Deus Pater genuit ut simpliciter Verbum.

℟. *dist. maj.* Si id esset, Maria foret etc. quoniam idem, ac Pater, genuisset Divinum Verbum, si genuisset eodem omnino modo, concedo; si genuisset modo prorsus Diverso, *nego majorem.* Et contra distincta minori, *nego consequentiam.* Maximum, et essentiale discrimen generationis Divini Verbi a Patre, et a Maria, in hoc totum est. Etenim generatio a Patre dicit subsistentiam in Verbo, et Pater est Verbi principium; sed generatio a Maria non dicit, sed supponit Verbi subsistentiam, et illi ab aeterno existenti Maria impertitur humanam carnem, et tribuit novum exteriorem modum existenti; scilicet ut est humana carne indutum. Paucis, et clarioribus verbis. Divinum Verbum concipitur a Maria, et est verus Filius ejus, non quia in illius utero accepit existentiam, quatenus Deus est: sed quia ibi accepit carnem in unitate suae Divinae Personae, et inde accepit existere ut Deus factus homo. Ergo ut Deus homo est verus Filius Mariae: Et propterea Maria est, et dici debet vera Mater Dei. Sed quomodo inde sequi potest, Mariam esse aequalem Personae Dei Patris, et etiam aliquo modo majorem? Pater generando, est origo, et principium secundae Personae Divinae. Et Maria generando dat

eidem Personae Divinae novum modum existendi, scilicet ut est Deus humana carne indutus. Ergo quantum Divinitas, quam a Patre habet Verbum, distat ab humana carne, quam idem Verbum habet a Maria; tantum Deus Pater distat a Maria.

68. *C.* Atqui Maria non est, neque dici potest vera Mater Dei, sed hominis. Ergo etc. *Prob.* Vera generatio, quae veram mulieribus tribuit maternitatem, habetur, cum Mater Filium generans, illi tribuit Personam. Sed ex responsis Maria generans Christum non tribuit illi Personam Divinam, quae jam praesistebat ab aeterno, sed solum illi adjunxit carnem. Ergo si haec simplex adjunctio carnis non fuit causa personalitatis in Christo, Maria nullimode dici potest Mater Dei, quia nullimode fuit causa Personae Christi; sed dumtaxat dici potest Mater humanitatis.

℟. *negando maj.* Ex corollario VI. §. II. si ex duabus personis, quae uniuntur, una sit in se absolute completa, et in se tota essentialiter existens, ita ut nullatenus fieri possit, ut non sit persona, tunc ista unica persona erit in composito, nec esse possit, persona altera pars, nec locum habere poterit persona tertia. Ergo cum Persona Divini Verbi sit absolute completa, et tota in se essentialiter existens, ipsa cum assumpsit humanam carnem necessario illam assumere debuit in unitate suae Personae Divinae. Ergo absolute Christus, qui est Divinum Verbum Incarnatum, unicam habere debet Personam, et hanc Divinam. Nec inde concludi potest, ut propterea Maria non sit vera Mater Dei. Etenim quia in utero Mariae Divinum Verbum huma-

nam carnem assumpsit, Maria id omne illi praestitit, quod caeterae matres praestant suis partubus. Quod si Maria hoc praestans, non inde locum habuit nova persona, id non factum est ex defectu Mariae, sed ex quo Divinum Verbum est in Divinis Persona absolute necessaria, et completa: et ex quo humanitas realiter unita Divino Verbo, nullatenus fieri poterat, ut in uno Christo, praeter Personam Divinam, esset quoque altera persona humana: et etiam quia humanitas Christi unita Verbo non fuit in se completa et incommunicabilis, quod est Personae alterum constitutivum. (§. 6.) Ergo si Maria omne praestitit, quod in generationibus humanis caeterae Matres praestant; vera Mater ipsa dicenda est sui sanctissimi Partus. Sed partus fuit Deus homo. Ergo vera Mater Dei dicenda est. Quinimo hostes Divinae Maternitatis in Maria, potius illam confirmant, dum supradicto modo argumentantur. Etenim si Maria concipiens in utero omne praestitit, quod caeterae mulieres concipientes: ergo ipsa aequae ac caeterae mulieres concipientes, dicenda est Mater. Sed ex quo, ut dicunt adversarii, pars concepta non est persona nec cum altera unita facit personam tertiam, illius dici non potest mater. Ergo si Maria necessario esse debet Mater personae, dici debet Mater Dei quia in suo partu Christo fuit sola Persona Divina. Ergo melius, si Haeretici isti simul cum nobis dicant, Mariam esse veram Matrem Dei, ex quo Divinum Verbum in unitate sui Personae ab illa suscepit humanam carnem; et inde, ut Deus homo factus, ab illa in lucem editus fuit.

69. Dicunt iterum adversarii Haeretici. In Christo u-

nica fuit Persona, et quidem illa Divini Verbi, quae aeterna generatione a Patre procedit. Sed una, et eadem persona nequit pluries generari. Ergo Persona Divini Verbi non potuit iterum generari a Maria. Et consequenter Maria non dicenda est vera Mater Dei.

℟. *Dist. min.* Una, et eadem persona non potest pluries generari, si semper cum generari dicitur, suam recipit subsistentiam; *conc.*, secus, *nego min.* et *cons.* Cum dicimus, Personam Divini Verbi generari a Maria, non intelligimus, illam a Maria habere subsistentiam eodem modo, quo aeterna generatione habet a Persona Patris, veluti a suo principio; sed tantum dicimus recipere novum modum subsistendi, scilicet ut Divinum Verbum nostra humana carne indutum.

70. Tandem dicunt. Nullibi in Scripturis Maria appellatur Mater Dei; nec a Patribus priorum saeculorum. Ergo prorsus rejiciendus est hujusmodi titulus.

℟. Etsi expresse, et conceptis verbis non dicatur Maria Mater Dei in Sacris Scripturis, talis tamen pro certo ponitur. Etenim in innumeris locis apertissime Scriptura dicit, Christum esse verum Deum. Sed dicit quoque illum esse Mariae Filium. Ergo pro certo ponit, Mariam esse Matrem Dei. Quod ad Patres spectat priorum Saeculorum, falsum prorsus est, quod non agnoverint ipsi hanc Divinam dotem in Maria, uti a nobis demonstratum est §. 63.

71. Ex demonstratis, et vindicatis. Beatissima Virgo est vera Mater Dei, quia vere concepit, et peperit Christum, qui est verus Deus nostra humanitate indutus. Et id eo vel magis, quia, ut suo loco dicemus,

est dogma fidei , ut agnoscamus , et confiteamur in Christo communicationem idiomatum , scilicet proprietatum Divinae , et humanae naturae. Quapropter si Maria est vera Mater humanitatis in Christo, ipsa est quoque vera Mater Dei , quia Christus est Deus et homo. Sed quoniam Divina Persona Christi est Persona Verbi ; ideo quaeri solet a nonnullis , num Maria dici possit Mater Verbi. Nonnulli Theologi negant , ex quorum numero videtur Clariss. Cajetanus de Fulgure lib. V. cap. VII. in fine § 111. Ratio ipsorum est , quia Verbum est terminus Paternae intelligentiae ideoque aeternam ejus generationem significat. Sed omni observantia loquens , quaero ab istis , quomodo fides Catholica credit , Deum Incarnatum in utero Mariae Virginis? uti ne est Trinus , an vero veluti una tantum Persona? Quippe ut Verbum tantum, non vero ut Pater , neque ut Spiritus Sanctus : aliena enim sunt haec a fide orthodoxa. Ergo fides catholica tenet , Divinam Personam in Christo esse Personam aeterni Divini Verbi. Sed Maria vere dicitur , et est , Mater Dei , quia est vera Mater Christi. Ergo est vere Mater Dei , ut Deus est Persona Verbi. Eccur ergo dici non potest Mater Verbi? Procul dubio aut exprimi , aut subintelligi semper debet adjectivum , scilicet Verbi Incarnati sicut et semper debet subintelligi , cum Maria dicitur Mater Dei.

72. Sine dubitatione Divina Maternitas in Maria est principium , fons , et origo omnium gratiarum , quibus ita cumulata est a Deo , ut respectu illarum vilescant omnes gratiae, et dona simul sumpta , quae sive in Caelo , sive in terra , cunctis creaturis Deus impertitus est.

Unde ipsa Beatissima Virgo dixit : *Fecit mihi magna qui potens est.* Quasi dicere voluisset: totam Deus suam posuit potentiam in respiciendo , et exaltando humilitatem mei ancillae suae. Ex hisce dotibus, gratiis , et privilegiis, nonnulla certo veluti media praecedere debuerunt , ut ad tantam dignitatem omni possibili meliori modo Virginem praepararent; et alia inde necessario vel comitata sunt , vel sequuta. De illis , et istis, brevem , si tamen fieri poterit ex meis votis , sermonem instituimus.

73. Itaque quoad dotes , et gratias , quae praecesserunt , ut disponerent , et praepararent Mariam , ut quantum fieri potuerit , esset digna Mater Dei , missis omnibus , totas intendimus vires in propugnando , etiam cum sanguine , si opus fuerit , illius Immaculatam Conceptionem. Desunt , fatemur quidem , Scripturarum testimonia , quae directe , et vero litterali sensu tantum privilegium dicant in Maria : sed tam multa , et valida sunt , quae indirecte id evincunt ; tam expressa , et quasi omnium Patrum favens doctrina ; tam clara plurium Romanorum Pontificum decreta ; et tam universalis omnium fidelium singularissima devotio , et pietas erga Immaculatam Conceptionem Beatissimae Virginis Mariae , ut nihil aliud desit pro vero Fidei dogmate , nisi expressum , et solemne Ecclesiae decretum, quo opposita sententia , si tamen modo sit , veluti haeretica damnetur. Plura quidem , et Oecumenica Concilia , et praesertim Tridentinum , adprobarunt nostram sententiam : sed imperscrutabili Dei consilio , forsan ut magis semper pro hoc Mariae privilegio dilucidando no-

stra devotio, sollicitudo, et studium augeatur, ultimum de vera fide decretum non dederunt.

74. Omittimus historiam quando, et quomodo haec quaestio de tanto privilegio Mariae coepit in scholis agitari, quoniam nihil id interesse videtur. Sed solum dicimus, quod triplici modo intelligi potest Immaculata Virginis Conceptio. Primo, ut ab aeterno exclusa fuerit a decreto originalis peccati, et inclusa in illo restaurationis humani generis faciendae per secundum Adamum, scilicet Christum. Unde sicut Christus, ut homo, quamvis praevisus fuerit post Adae peccatum, et sit verus Filius Adae, non solum tamen illius debitum non contraxit quoad culpam, sed culpae fuit destructor, et Redemptor omnium, ita Maria praedestinata vera Christi Mater a lege peccati fuit immunis, et quasi secunda Eva. Secundo, ut Maria formata fuerit quidem ex materia corrupta, sed sanctificata eodem simul tempore, quo anima conjuncta fuit cum corpore.

75. In primo sensu Mariam Immaculatam tuentur plures Theologi, sed praesertim Catharinus lib. de peccato Originali cap. ultimo, et Galatinus lib. VII. cap. X. Quoad secundum modum, nullus quidem videtur dubitare, si excipias paucissimos, qui tertium modum excogitarunt, scilicet Mariam sanctificatam esse illico quidem, sed tamen post contractam originis culpam.

76. Ut quod sentio, libere proferam, dico quod secunda sententia videtur superflua. Etenim quid materia ista corrupta, ex qua formata fuit Maria, sed sanctificata eodem tempore, quo cum corpore conjuncta fuit anima? Nunquid materia capax est corruptionis cul-

pae vere dictae? Sed quaero, nonne culpa originis contrahitur statim ac habetur Filius Adae, cum scilicet in utero Matris anima rationalis unitur cum foetu satis apto ad vitales actiones exercendas? Ergo ante hujusmodi unionem nulla habetur culpa: non ex parte animae, tum quia non praexistebat, tum quia sola non dicit filium Adae: Et non ex parte solius materiae, sive carnis, quia materia per se iners, culpae non potest esse capax. Quod si in ista reponamus defectum, eo quod vere incitat ad peccatum, cum tempus advenerit suae unionis cum anima, et adversum animam pugnat, quis erit, qui cum haereticis Novatoribus audebit asserere verum peccatum hujusmodi dispositionem, et cum sui causa, scilicet peccato originali, confundere? Ergo si nonnisi in unione animae cum corpore haberi potest originale peccatum, satis erit pro solutione quaestionis in duas partes dividere omnes sententias. Prima erit illorum, qui dicunt, Beatissimam Virginem incurrisse universalem ruinam, et revera fuisse adamiticae culpae subjectam, etsi id dicatur per instans solum, et illico fuisse sanctificatam. Et altera erit illorum, qui nunquam tali culpae subjectam fuisse tuentur; et consequenter ab aeterno non fuisse inclusam in generali decreto. Et haec nostra quoque erit sententia. Et propterea sit

PROPOSITIO VII.

Beatissima Virgo Maria, ut quae praedestinata Christi humani generis Salvatoris, et propterea vera Mater Dei, inclusa non fuit in decreto, celeroquin universali, originalis peccati: sed ex omni parte illius conceptio fuit Inmaculata.

77. *Prob.* Beatissima Virgo ab aeterno exclusa fuit a decreto peccati originalis, si in sui conceptione nec per instans solum adamitica culpa fuit maculata. Sed res ita se habet. Ergo Beatissima Virgo etc. Major per se patet. Etenim sicut omnia, quae in tempore fiunt, ab aeternitate a Deo ordinata fuerunt, ita contra, quae in tempore non fiunt, ab aeterno non fuerunt ordinata. Ergo si nullatenus Maria in sui Conceptione originali culpa fuit maculata, ipsa ab aeterno exclusa fuit a generali decreto. *Prob.* itaque *min.* omni genere argumentorum. Et quidem primo ex Scripturis.

78. Fatemur quidem, nullum neque in Veteri, neque in novo Testamento adinveniri testimonium, quod directe, et sensu vere litterali nostram doceat sententiam. Sed satis clare multa illam indicant, praesertim si communis accedat interpretatio et quoad figuras accomodatio Patrum. Et quidem Geneseos cap. III. v. 15. Deus punire volens Diabolum, qui sub serpentis figura Evae suaserat, ut ederet de vetito fructu, ita ait: *Inimicitias ponam inter te, et mulierem . . . Ipsa conteret caput tuum.* Scio, quod nonnulli legunt *Ipse* scili-

cet Christus, *conteret* etc. Sed tandum est nostrae Vulgatae, primo, quia aliter esset contra scopum Dei volentis punire Diabolum per aliam mulierem Matrem regeneratorum. Secundo, quia de Maria communiter Sancti Patres laudatum textum interpretantur, praesertim Augustinus lib. XII. de Genes. ad litteram cap. XXXIV. et Ambrosius lib. *de Fuga Saeculi* cap. VII. Sed quomodo Maria confregisset Diaboli caput, si per istans unicum illius fuisset serva?

79. Secundo. In Psal. XLV. v. 4. habemus: *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. Deus in medio ejus, non commovebitur. Adjuvabit eam Deus mane diluculo.* Et Cantic. cap. II. v. 1.: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Et cap. IV. v. 7. *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.* Haec, et multa alia de Maria interpretantur Patres, praesertim S. Athanasius, et Joannes Damascenus. Si ergo Maria est tabernaculum Altissimi, si Altissimus illam fundavit. Si Maria est sicut lilium inter spinas: si tota est pulchra: si nulla macula est in ipsa; quomodo originali culpa labefactata?

80. Omittimus figuras pene innumeras, quas de Maria explicant Sancti Patres, et duo solum testimonia adducimus ex novo Testamento. Primo. Lucae cap. I. v. 28. Angelus Gabriel ita Mariam salutavit. *Ave gratia plena, Dominus tecum.* Si plena gratia. Ergo distincta super omnes. Sed Jeremias, et S. Joannes Baptista jam sanctificati fuerunt in utero Matris. Ergo Maria semper Sancta, nunquam originali culpa Foedata. Secundo. Apocalypsis cap. XII. v. 1, legimus. *Signum*

magnum apparuit in Coelo : Mulier amicta sole : et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim. Hanc mulierem esse Mariam docuit S. Bernardus serm. in laudatum caput, dicens. *Novum fecit Dominus super terram, ut Mulier circumdaret Virum; nec alium, quam Christum, de quo dicitur. Ecce Vir, oriens nomen ejus. Novum quoque fecit in Coelo, ut Mulier sole appareret amicta.* Quod si Maria amicta est sole, quomodo involuta dici poterit, etsi per istans solum, tenebris culpae originalis?

81. Sed validiora afferamus oportet argumenta pro Immaculata prorsus Virginis Conceptione. Quippe ubi Sacra Scriptura silet, aut non clare loquitur, alteram habemus infallibilem fidei regulam, scilicet Divinam, et Apostolicam Traditionem, uti in secundo libro nostrarum Institutionum satis vindicavimus. Hanc Traditionem procul dubio habemus ex doctrina Ss. Patrum, ex decretis Summorum Pontificum, et Conciliorum Oecumenicorum. Item Dogma fidei universale est, quod Christi Ecclesia nullatenus errare potest in iis, quae ad fidem pertinent. Ergo ubi demonstratum sit, hanc esse doctrinam Veterum Ss. Patrum, et deinceps confirmatam a Romanis Pontificibus, et approbatam a Conciliis, quinimo et hanc ipsam omnes fideles credere et tueri, nullatenus de illa fas erit dubitare.

82. Et quidem quoad Patres possumus exordiri ab ipsis Apostolis. Itaque Andreas Apostolus, ut in ejus gestis refert Abdias lib. IV. Hist., ait. *Sicut primus Adam formatus fuit ex terra, antequam esset ma-*

ledicta , *ita secundus Adam* (Christus) *formatus est ex terra Virginea nunquam maledicta.* Et S. Jacobus in sua liturgia, quam sexta Synodus can. XXXII. multum veneratur, ait. *Commemorantes Sanctissimam, Immaculatam* , et *Gloriosissimam Dominam nostram Matrem Dei.* Si ergo Maria nunquam maledicta , sed Sanctissima , et Immaculata , quomodo originali culpa foedata ?

83. Et haec eadem fuit sententia omnium Patrum in quovis saeculo , ex quibus aliquos pro brevitate enumeramus. Itaque Origenes Hom. I., Andreas Cretensis serm. de Assumptione , Theodoretus lib. III. in Cantica ; S. Ephraem in *Lamentatione Virginis* , innumerique alii dicunt , Mariam puriorem fuisse Angelis : et praesertim S. Anselmus , qui lib. *de Conceptu Virginis* cap. XVIII. scribit. *Decuit* , *Virginem ea puritate nitere* , *qua major sub Deo nequit intelligi.* Sed nulla culpa est in Angelis. Ergo tota pura , et Immaculata est Maria.

84. Sed apertissime ut talis praedicatur. Etenim S. Cyprianus lib. *de operibus Christi* cap. de Nativitate Virginis , ait. *Non sustinebat justitia* , *ut illud vas electionis communibus lacesseretur injuriis.* Ambrosius serm. XXII. in Psal. CXVIII. v. 176. explicans verba , *Quaere servum tuum* , ait. *Suscipe me non ex Eva* , *sed ex Maria* , *ut incorrupta sit Virgo* , *sed Virgo per gratiam* , *ab omni integra labe peccati.* S. Hieronymus in Cap. X. Eccles. comparans Virginem cum Patriarchis , et Prophetis , dicit , illis supereminere , et fuisse liberam ab omni peccato , et

cortice peccati, scilicet peccato originali. Sed clarissime omnium loquitur Augustinus lib. *de Natura, et Gratia* cap. XXXVI. , dicens. *Excepta itaque Sancta Virgine Maria , de qua propter honorem Domini , nullam prorsus cum de peccatis agitur , habere volo quaestionem : inde enim scimus , quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum , quae concipere , et parere meruit eum , quem constat nullum habuisse peccatum.* In hoc libro S. Doctor agit contra Pelagianos , qui originale peccatum negabant. Ergo ab illo excludit Beatissimam Virginem. Hanc Augustini sententiam mirifice confirmat Divus Bernardus serm. IV. super *Salve Regina* , dicens: *Innocens fuisti ab originalibus , et ab actualibus peccatis. Nemo ita praeter te. Unde auctoritas Divi Augustini. Cum de peccatis agitur , nullam de Beata Maria volumus fieri mentionem. Ex eo enim majorem credimus ei collatam virtutem ad vincendum ex omni parte peccatum , quae concipere , et parere meruit eum , qui nullum habuit peccatum. Ex omni , inquit , parte : hoc est ex parte originalis , et ex parte actualis peccati. Ea ergo solum excepta , caeteri omnes quid dicere possunt , nisi quod dit Apostolus Joannes. Si dixerimus , quod peccatum non habemus , ipsi nos seducimus , et veritas in nobis non est ?*

85. Non moramur in referendo doctrinam S. Doctoris Bonaventurae. Si ex Ordine Minoritico ipse est , quisque cognoscere potest , quanto zelo docuerit , et promoverit in Maria Immaculatae Conceptionis privile-

gium. Unum tantum illius afferimus testimonium. Itaque serm. *de Beata Virgine*, dicit: *Solus Filius Virginis fuit ab originali culpa immunis, et ipsa Mater, et Virgo: credendum enim est, quod novo sanctificationis genere in ejus Conceptionis primordio Spiritus Sanctus eam a peccato originali, non quod infuit, sed quod infuisset, redemit, atque singulari gratia praeservavit.* Sed forsan prae omnibus Divus Thomas subtiliter suo more disputans, clarissime nostram docet sententiam, quidquid postea nonnulli solo altercandi genio moti contradixerint. Itaque in prima, distinct. XLIV. art. III. ad tertium, ait. *Dicendum, quod puritas intenditur per recessum a contrario, et ideo potest aliquid creatum inveniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, et nulla contagione peccati inquinatum sit: et talis fuit puritas Beatissimae Virginis Mariae, quae a peccato originali, et actuali immunis fuit.* Eamdem veritatem docet in Comment. in Epist. ad Galatas lect. VI. ut habent editiones factae Venetiis an. 1529 et Parisiis 1541. Quod si aliter habetur, non leve argumentum est, ut scribit Antonius Boucat. in tract. de Incarnat. dissert. secunda, art. secundo, summam Divi Thomae defloratam fuisse in tertia parte quaest. XXVII. art. secundo, primo, a quodam Broniardo, secundo a P. Cosma Morelles, qui de novo typis mandavit istud mirabile Divi Thomae opus an. 1613., de qua temeritate acrem repraehensionem reportavit a Paulo V. (Boucat ib.).

86. Ex dictis patet, prioribus saeculis communem

fuisse doctrinam de praeservatione Beatissimae Virginis ab originali peccato. Quod si addatur , eamdem semper fuisse sententiam post Scotum , qui prior publice Parisiis , jubente summo Pontifice , coram Legatis ejus , et innumeris Theologis , tanto zelo , et non sine miraculo, hoc defendit singulare Mariae privilegium, (Boucat ib.), eamdem , dico fuisse sententiam omnium Scholarum , et Theologorum : quinimo et omnium fidelium , non video , quid aliud adhuc desiderari possit , ut statuatur pro vera Divina , et Apostolica Traditione. Sed videamus quomodo posterius ejusmodi revera dici debet haec doctrina ex decretis Romanorum Pontificum , et Conciliorum.

87. Et quidem Sixtus IV. anno 1476. constit. *In perpetuum valitura* omnibus Christi Fidelibus , qui in die festo Sanctissimae Conceptionis Mariae , et per octavam , vel recitant officium , vel assistant Missae sacrificio , aut officio , easdem concedit indulgentias , quas Urbanus IV. , et Martinus V. impertiti fuerant pro Missa , et officio Corporis Christi. Et idem Pontifex anno 1483. sic severe excommunicationis poenam indicit in illos , qui contra Immaculatam Conceptionem vel scribere , vel praedicare audeant. *Tenore praesentium reprobamus , et damnamus , ac motu , scientia , et auctoritate praediti , statuimus , et ordinamus , quod Praedicatores Verbi Dei , et quicumque alii , cujuscumque status , gradus , aut ordinis , ac conditionis fuerint , qui de cetero ausu temerario praesumpserint in eorum sermonibus ad Populum , seu alias quomodolibet affirmare aliquid contra Conce-*

ptionem, *postquam de praesentibus scientiam habuerint*, *excommunicationis sententiam eo ipso incurrant*, *a qua ab alio*, *quam a Romano Pontifice*, *nisi in mortis articulo*, *nequeant absolutionis beneficium obtinere.* Quod si tanta poena in hac constitutione damnantur, qui oppositam tuentur opinionem, quid aliud desiderari potest, ut dicatur, quod ex mente Romanorum Pontificum nostra sententia de Immaculata Virginis Conceptione, est ex doctrina Divina voce tradita?

88. Idipsum confirmatur ex quo constanter usque ad praesens multi alii Romani Pontifices idem adprobarunt, et praeceperunt. Sic Pius V. in Bulla *per speculum* renovat supradictum decretum Sixti IV., et praecepit poni in Braeviario officium Immaculatae Conceptionis. Idipsum fecit Paulus V. an. 1616 et Gregorius XV. ampliavit anno 1622., vetans. *Ne quisquam etiam in scriptis*, *et sermonibus privatis* audeat asserere, quod Beatissima Virgo in peccato concepta sit. Et hoc ipsum confirmavit Alexander VII. anno 1661. constitutione. *Innovatio Constitutionum*, *et Decretorum in favorem Sententiae asserentis*, *Animam Beatissimae Virginis in sui creatione*, *et in Corpus infusione a peccato originali praeservatam fuisse*, *editorum*. Leo X. et Clemens VII. approbarunt officium proprium Immaculatae Conceptionis compositum a Zacharia Episcopo Gandae: et Pius V. concessit Ordini Minoritico nedum illud recitare, sed solemniter celebrare diem festum. Et sic sequentes Romani Pontifices, quoties occasio data est, et nuper concesserunt eidem Ordini Minoritico, ut

in prefatione Missae dicerent. *Et te in Conceptione Immaculata Beatae Mariae etc.*

89. Sed gradum faciamus ad Concilia. Itaque sexta Synodus generalis approbavit, et habuit ut suam, Epistolam Sophronii Patriarchae Jerosolymitani, in qua legimus: *Ex inviolabili namque, et Virginali Sanctissimae, atque Immaculatissimae, Virginis Mariae utero Verbum etc.* Septima Synodus actione tertia vocat Mariam: *Immaculatam, et omni sensibili, et intellectuali natura puriorem.* Concilium Francofurtense in epistola ad Episcopos Hispaniae vocat Mariam *Virginem Immaculatam, prorsusque puram.* Sed rem totam conficit Concilium Basilense in Gallicis per omnia receptum, quod sic habet sessione XXXVI.: *Nos vero diligenter inspectis auctoritatibus, et rationibus, quae jam a pluribus annis in pubblicis rationibus ex parte utriusque doctrinae coram hac Sancta Synodo allegatae sunt: aliis etiam plurimis super hac re visis et matura consideratione pensatis, doctrinam illam disserentem Gloriosam Virginem Dei Genitricem Mariam, praeveniente, et operante Divini Numinis gratia singulari, nunquam actualiter subjacuisse originali peccato, sed immunem semper fuisse ab omni originali, et actuali culpa, sanctamque, et Immaculatam, tamquam piam, et consonam cultui Ecclesiastico, fidei Catholicae, rectae rationi, et Sacrae Scripturae, ab omnibus Catholicis approbandam fore, tenendam, et amplectendum definimus, et declaramus, nullique de cetero licitum esse in contrarium praedicare, et docere.*

90. Non minus clare loquitur Concilium Tridentinum sessione V. sub finem decreti de peccato originali, ubi ait: *Declarat tamen haec ipsa Sancta Synodus, non esse suae intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam, et Immaculatam Virginem Mariam, Dei Genitricem; sed observandas esse Constitutiones fel. rec. Xysti Papae IV. sub poenis in eis constitutionibus contentis, quas innovat.*

Non video quid aliud desiderari possit, ut ad veram fidem pertinere dicatur doctrina de Immaculata Virginis Mariae Conceptione. Concilium Oecumenicum, et omnium celebratissimum, non includit Mariam in generali decreto: ergo excludit. Quinimo non solum declarat exclusam, sed innovat, et servandas praecipit Constitutiones Xisti IV. Ergo excommunicationem ipso facto incurrendam, et soli Romano Pontifici reservatam, contra omnes indicit, qui quovis modo vel scripto, vel voce aliquid contra Immaculatam Virginis Conceptionem audeant asserere: hanc enim poenam continet altera Xisti IV. Constitutio data anno 1483. Ergo etc.

91. Sed quid deinceps Ecclesia? Adeo semper in dies haec sententia magis firmata est, ut omnes Scholae, Achademiae, Universitates, praesules omnes tanto studio hanc docent, praedicant, tuentur sententiam, ut nullam ferme aliam majori zelo. Et populus fidelis cujusvis Nationis tanta solennitate, et laetitia diem festum Immaculatae Conceptionis celebrat, ut quasi non distinguat ab illo, non dicam Conceptionis, sed etiam Nativitatis ipsius Domini Salvatoris. Sed tota Ecclesia cre-

dens errare non potest in iis, quae ad fidem, et mores pertinent. Ergo etc. Neque dicas, quod populus ignarus id facit. Etenim omnes Magistri, et Praesules non solum cum haec vident, tacent, sed ipsi quoque promovent, et ex cathedra, et suggestis docent, et praedicant.

92. Sed ne omnino sileat ratio Theologica, quae licet per se non facit fidem catholicam, tamen hac in re majorem, quam alibi locum habet; illud tantum breviter urgeo, quod Scoto tribuitur, argumentum. Scilicet: Deus potuit excludere Mariam a decreto, caeteroquin universali, peccati originalis. Decuit, ut excluderet. Ergo exclusit. Major per se patet. Ex imperscrutabili enim sui consilio Deus in Adae voluntate posuit voluntatem omnium nostrum, voluitque ut si ille praeceptum non servaret, omnes pariter cum illo donum amitteremus justitiae originalis; et alia subiremus mala, quae suo loco diximus. Ecquis audebit dicere, quod aliter Deus efficere non potuisset? Si ergo nulla repugnantia, ut pro solo Adamo illam poenam statuisset, quomodo ab eadem, sicut exclusit humanitatem Christi Redemptoris, excludere quoque non poterat Matrem ejus Mariam? Sed non opus est ulterius demonstrare majorem per se claram.

93. *Prob.* itaque *min.* multiplici ratione. Et quidem 1. Maria est vera Mater Dei (prop. VI. §. 60, et seq:). Sed ex proverbiis cap. XVII. v. 6 habemus: *Gloria filiorum patres eorum*. Quae ergo gloria Christi, qui est verus Deus, habere Matrem, licet per instans unicum respectu Mariae, et semper respectu sui,

quia respectu Dei omnia sunt in actu, habere, inquam, Matrem foedatam culpa, sui inimicam, subditam Diabolo? Ergo maxime decuit ex parte Divini Verbi, ut Maria praeservaretur ab adamitica culpa.

94. Idipsum verum quoque est ex parte Patris, et Spiritus Sancti. Et quidem quoad Patrem, quae gloria ipsius, si quem ab aeterno, imo semper in actu, mente generavit sibi consubstantialem, idem in tempore humana carne indutus generetur, et sit verus Filius Mariae, quae per unicum instans fuerit originali culpa foedata, sibi inimica, subjecta inferno? Si ultra, quasi dicerem, quam sua omnipotenti virtute fieri potest, tantum sublimavit Mariam, ut esset vera Mater ejusdem Divini Verbi, cujus ipse est Æternus Pater; quomodo, utique potens, non prius ab omni culpa preservavit, effecitque, ut quam fieri potest respectu creaturae, sibi ipsi in puritate, et Sanctitate foret similis? Similem, quantum fieri potest, sibi voluit in honore: similem quoque, quantum fieri potest, sibi velle decuit in sanctitate.

95. Quoad Spiritum Sanctum idem sermo videtur habendus. Quoniam Mysterium Divinae Incarnationis est opus *ad extra*, et idcirco tribus Personis commune, juxta Christianae fidei regulam, uti habemus in Catech. Rom. p. 1. III. Art. Simb. n. 3. *Siquidem illa Christianae fidei regula tenenda est: omnia, quae Deus extra se in rebus creatis agit, tribus Personis communia esse, neque unam magis, quam alia, aut unam sine alia agere*: tamen, quia hoc mysterium est opus plusquam, dicerem, infiniti Dei amoris

erga homines, idcirco Ecclesia Catholica docet, Æterni Divini Patris Filium incarnatum esse virtute Spiritus Sancti (ibidem). *Quoniam Divinae Incarnationis Mysterium singularem, atque immensam Dei erga nos benignitatem declaret, ob eam rem peculiari quadam ratione hoc opus Spiritui Sancto tribuitur*: Et propterea in Symbolo profitemur: *Et Incarnatus est de Spiritu Sancto*: et sic etiam Gabriel Angelus dixit Mariae Lucae cap. 1. v. 35. *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Quod si ita, cur ergo non dicemus Mariam dilectam Sponsam Spiritus Sancti? Quo studio igitur, si ita loqui fas est, non decuit, ut Divinus Spiritus omnibus donis, gratiis, et privilegiis disponeret, et ornaret suam Sponsam Mariam? Et poterimus tantum cogitare, ut cum potuerit ab originali culpa praeservare, qua nihil magis deforme oculis Dei, non voluerit ab aeterno excludere a generali decreto? Decuit ergo, et maxime decuit, ut excluderetur.

96. Quod si potuit Deus excludere (§. 92). Si decuit (93, 94. 95.), quae difficultas in consequentia, ut revera excluserit? Nunquid quae reipsa decent, non operatur Deus? Exclusit, exclusit Deus Mariam a decreto culpae originalis: et propterea laeti cantemus illi, *Tota pulchra es Maria: et macula originalis non est in te.*

97. Multae aliae, et validissimae rationes adduci possent, et ego quidem deberem: sed ne omnino videar a mihi proposita brevitate recedere, alteram solummodo afferam. Itaque duplicem statum hominis fas est distin-

guere, praeter illum innocentiae: statum scilicet praevaricationis, et statum reparationis, et regenerationis. Adam peccando totum perdidit humanum genus: et Christus homo Deus illud totum reparavit, et redemit. Eva Adamo occasionem praebuit universalis ruinae: Maria medium, carnem scilicet, Divino Verbo subministravit pro omnium salute, et Redemptione. Non Evae peccatum, sed peccatum Adae, cui veluti in depositum a Deo commissa fuerat justitia originalis, homines posteros perdidit: et non meritum Mariae, sed meritum Christi, homines cunctos jam perditos salvavit. Etsi Eva non fuerit postera, et filia Adae, cum Adamo tamen perdita est, et Mater totius perditi humani generis effecta est, sequens conditionem auctoris praevaricationis, cui praevaricandi praebuit occasionem. Eccur ergo Maria sequi non debet ordinem reparationis activae, ex eo quod reparationis medium, nempe humanam carnem, Christo praebuit Reparatori? Sicut ergo Adam pater, et auctor, et Eva mater, et cooperatrix perditorum; ita Christus pater, et auctor, et Maria mater, et cooperatrix omnium Servatorum. Si ergo ad ordinem reparationis activae pertinet Maria, quomodo includi potuit in decreto perditionis? Quomodo quae semel culpa foedata est, causa (suo modo) destructionis culpae? Si, ut cecinit antiquissimus Arator lib. 1 in Acta Apostolorum tom. VIII. Bibl. Patrum, *A nato formata suo mala criminis Evae-Virgo secunda fugat: nulla est injuria — Restituit quod prima tulit etc.* quomodo in ordine praevaricationis, quae praevaricationis mala restituit? Concludendum igitur etc.

98. Non sustinet animus, etsi simulate, impugnare tantum privilegium nostrae dulcissimae Matris Mariae; et idcirco omitto argumenta, quae olim contra afferebantur. Hoc unum tamen dico, quod ipsa sive sint ex Sacra Scriptura, sive ex SS. Patribus, in hoc tota sunt, quod decretum originalis peccati asseritur universale, quin ulla addatur exceptio. Sed nullius momenti haec loquendi ratio habenda est 1., quia saepe in Scripturis datur exceptio, etsi universalis sit sermo. Sic Geneseos cap. VI. v. 12. habemus: *Omnis quippe caro corruperat viam suam super terram*: Et tamen excipiendus est Noe cum sua familia. Et sic etiam Tridentinum Concilium sess. V. *Decretum de pecc. orig.* primo nullum excipit a lege hujus peccati, dicens: *Si quis hoc Adae peccatum, quod origine unum est, et propagatione, non imitatione, transfusum omnibus, inest unicuique proprium etc.* Et tamen postea excipit Mariam dicens: *Declarat tamen haec ipsa Sancta Synodus, non esse suae intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur Beatam, et Immaculatam Virginem Mariam.* Id magis locum habere debet in dictis Sanctorum Patrum, praesertim illorum, quibus res erat cum Pelagianis, qui transfusionem peccati originalis in nos omnes Adae posteros negabant. Caeterum objectio isthaec nimis probat, et propterea nihil facienda est contra nos. Etenim nec Scripturae, nec saepe quoque Patres, cum de peccato originali loquuntur, ullam mentionem faciunt de humanitate Christi. Sed nunquid . . . .

99. Quod si objiceretur, Mariam subjectam fuisse

necessitatibus, doloribus, et morti, quae omnia sunt effectus et consequentia originalis peccati. Ergo si non datur effectus sine causa Maria . . .. Responsio erit, quod duplicis generis sunt effectus peccati originalis, primarii scilicet, et secundarii, primi sunt amissio Dei gratiae, et amicitiae, concupiscentia carnis adversus spiritum, proclivitas ad peccatum, et mors aeterna, et secundarii sunt dolores, aerumnae etc., et mors corporis. Ab illis libera prorsus fuit Maria; sed subjecta fuit istis, sicut subjectus quoque fuit ejus Filius Christus, qui vere acerbissimos perpessus dolores, in cruce transfixus mortuus est.

100. Alterum Mariae singulare privilegium, quod comitatur, et sequitur illius Divinam Maternitatem, illud est, quod nedum ante partum, praesertim cum suum concepit Filium, sed in partu etiam, fuit Virgo Intemerata, et talis usque ad mortem permansit. Qui hoc inficiati sunt Mariae privilegium, sunt ii omnes, qui Christum dixerunt purum hominem. Sed eo impietatis pervenerunt nonnulli tempore S. Augustini, praesertim Helvidius Auxentii Ariani Mediolanensis Episcopi discipulus, et Jovinianus Monachus Romanus, ut dixerint, Mariam ex matrimonio cum Joseph alios, praeter Christum, habuisse filios, quos Evangelium appellat Christi fratres. Contra omnes itaque sit

PROPOSITIO VIII.

Maria Christi Mater fuit Virgo in Conceptione, et in partu sui Sanctissimi, et Divini Filii; et etiam post partum Virgo semper permansit intemerata.

101. *Prob.* In Evangelio Lucae cap. I. v. 26. habemus: *Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph de domo David, et nomen Virginis Maria.* Ergo Maria jam desponsata erat Virgo. Sed turbata Maria, et cogitans qualis esset Angeli salutatio, *Ave, gratia plena: Dominus tecum* (ib. v. 28); Angelus subdit. *Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in utero, et paries Filium, et vocabis* etc. (v. 30). Et Maria respondit. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Ergo Maria erat Virgo, quia virum non cognoscebat. Sed et Virgo in ipsa Conceptione. Etenim Angelus ei respondit: *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Ergo et postquam concepit, fuit Virgo; quoniam virtute concepit Spiritus Sancti. Sed virgo etiam peperit, et Virgo semper permansit. Etenim si turbata est in sermone Angeli, qui annuntiabat, illam futuram esse Matrem, procul dubio id factum fuit, quia Virginitatis voto, ipso Deo inspirante, se obstrinxerat: unde merito turbata

est, quoniam nondum edocta mysterium nesciebat, Deum facturum, ut ipsa Virgo simul esset et Mater. Ergo si tandem acquievit, et respondit: *Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum*; id certissime indicat, sibi jam persuasum esse, quod ex Omnipotentia Dei, *Non erit impossibile apud Deum omne verbum*, uti ei respondit Angelus, ipsa concipiens, et pariens Filium, illibatam tamen servaret Virginitatem.

102. Sed confirmatur hoc dogma ex Conciliis. Et quidem primo in quodam sermone Concilii Ephesini legitur: *Natura post partum nescit ulterius Virginem, gratia vero et parientem ostendit, et Matrem fecit, et Virginitati non nocuit.* Et Patres Concilii Chalcedonensis sic scribunt ad Marcianum: *Filium Dei, Beatissimae Mariae suae Matri Virginitatem post conceptum largitum esse, atque, ut Deo dignum erat, uterum ejus obsignasse.* Sed rem definit Concilium Lateranense sub Martino primo. Etenim canone tertio ait: *Si quis secundum Sanctos Patres non confitetur proprie, et secundum veritatem, Dei Genitricem Sanctam semper Virginem, et Immaculatam Mariam, utpote ipsum Deum Verbum semper, et veraciter, qui a Deo Patre ante omnia Saecula natus, in ultimis Saeculorum absque semine concepisse ex Spiritu Sancto, et incorruptibiliter eum genuisse indissolubili permanente, et post partum ejusdem Virginitate, condemnatus sit.* Et ipsum pro certo ponit Concilium Tridentinum. Etenim saepe celebrat Deiparae illibatam Virginitatem. Et sessione V. illam excipiens, a decreto peccati originalis, dicit: *Declarat tamen*

haec Sancta Synodus, non esse suae intentionis comprehendere in hoc decreto ubi de peccato originali agitur, Beatam et Immaculatam Virginem Mariam, Dei Genitricem. Si dum illam dicit Matrem, appellat quoque Virginem, procul dubio illam pro certo ponit Virginem post partum: quinimo semper Virginem usque ad mortem. Ecquis enim appellabit virginem, quae fuit virgo, verum actu virgo non est? Ergo si post Mariae mortem, Concilium Tridentinum, et alia multa, ubi occasio praebetur, illam dicunt Virginem, sicut et dicimus omnes, stat dogma Catholicum, quod Maria fuit Virgo in conceptione Christi, in partu, et post partum semper.

103. Eamdem veritatem semper docuerunt Romani Pontifices. Sed brevitatis causa nonnullos ex antiquitate afferimus, ut vetus appareat Divina Traditio Itaque Hormisdas in epistola 79 ad Justinum Imperatorem ait. *Ut qui ante tempora erat Filius Dei, fieret filius hominis, et nasceretur ex tempore hominis more, Matris vulvam natus non aperiens; et Virginitatem Matris Deitatis virtute non solvens: Dignum plane Deo nascente Mysterium, ut servaret partum sine corruptione, qui conceptum fecit esse sine semine.* Pelagius I. in confessione fidei epist. 16 ad Chilbertum Regem sic loquitur. *Christum natum esse, servata integritate maternae virginitatis, quia sic eum virgo permanens genuit, quemadmodum virgo concepit.* Et S. Leo serm. 1. de Nativitate cap. II. ait: *Merito igitur Virgineae integritati nihil corruptionis intulit partus salutaris; quia custodia fuit pudoris, editio veritatis.*

104. Utique sententia, et doctrina Romanorum Pontificum, et Conciliorum sufficiunt pro stabilienda nostra thesi. Nihilominus ut in hoc clarius pateat Divina, et Apostolica Traditio, quae utique facit dogma Fidei, dicimus, hanc fuisse sententiam omnium Patrum cujuscumque saeculi, et quidem tam Graecorum, quam Latinorum, et etiam omnium fidelium. Et quidem quoad Patres, nonnullos tantum, brevitatis causa, afferimus. Et a Graecis incipiendo, Gregorius Nyssenus sic loquitur in oratione de Natali Christi: *Puer pannis involutus, et in praesepio requiescens, et illa post partum Virgo incorrupta fovet Filium.* Sanctus Ephraem in oratione de pretiosa Margarita, ait: *Non perdidit sigillum natura Virginis, Christo concepto, et ob id neque, eo genito, resarata est, ut partum in lucem ederet.* Ita similiter loquuntur Theodoretus hom. de Natali Domini; Sophronius in Epistola Synodica, quae lecta, et approbata fuit in VI. generali synodo actione VI. Andreas Jerosolymitanus in Oratione de Salutatione Angelica: et S. Joannes Damascenus lib. IV. cap. XV. scripsit. *Quemadmodum vero conceptus eam, quae conceperat, Virginitatem couservavit, sic et in partu in lucem editus eamdem Virginitatem servavit illaesam, solus per eam transiens, et clausam eam reservans.*

105. Quoad Patres Latinos, sint instar omnium S. Ambrosius, Hieronymus, et Augustinus. Itaque Ambrosius sic loquitur in tractatu de Symb. Apostol. cap. XII. *Solus est enim natus ex Virgine, quae nec conceptionem de viro, nec corruptionem sensit ex*

partu. Hieronymus in toto lib. contra Helvidium id demonstrat ; et in comment. in caput XLIV. Ezechielis, dicit : *Pulchre quidem portam clausam , per quam solus Dominus Deus Israel ingreditur, et Dux, cui porta clausa est , Mariam Virginem intelligunt, quae et ante partum , et post partum Virgo permansit.* Et Augustinus strenuus Mariae defensor serm. XIV. de tempore , ait : *Talis eligitur Virgo , de toto scilicet mundo , quae tantum haberet meritum , ut Dei Filium in semetipsa susciperet , et post partum omni modo Virgo permaneret . . . Tanta est enim Divina illa potentia , ut et Matrem reddat foecundam , et Virginem servet illaesam.*

106. Si ergo de hoc Mariae privilegio inter omnes convenit Patres , non dubitandum est , illud de fide tenendum esse ex Divina Apostolica Traditione. Et id eo vel magis , quod ab omnibus , sine ulla exceptione, Christi fidelibus confitetur. Quippe nullus est, qui Mariam non dicat , et defendat Virginem. Ast si in partu , aut post partum virginitatem amisisset , quomodo adhuc Virgo diceretur ? Sed adde etiam , quod ita Ecclesia per universum orbem Virginem vocat, quoties per merita illius ad Deum fundit praeces : Nunquid errat Ecclesia ? Concludendum igitur etc.

Solvuntur Helvidii objectiones.

107. Varia objiciuntur ab impio Helvidio , quorum praecipua sunt. I. Matth. cap. I. v. 18 habemus : *Christi autem generatio sic erat : Cum esset despon-*

sata Mater ejus Maria Joseph , antequam convenirent , invencta est in utero habens de Spiritu Sancto. Ergo postea convenerunt. Quomodo igitur semper Virgo. II. Idem confirmatur ex eodem cap. v. ultimo, ubi de Josepho dicitur. *Et non cognoscebat eam , donec peperit filium suum primogenitum , et vocavit nomen ejus Jesum.* Ergo si Joseph non cognovit, donec peperit , illam cognovit post partum ; et id eo magis verum est , quod Jesus asseritur primus , non vero unicus Mariae filius. III, tandem. Sed et in eodem Evangelio cap. XIII. v. 55. non solum habemus , Jesum alios habuisse fratres , et sorores , sed ipsum esse filium Joseph. *Nonne hic est fabri filius ? Nonne Mater ejus dicitur Maria , et fratres ejus Jacobus, et Joseph , et Simon , et Judas ? Et sorores ejus nonne omnes apud nos sunt ? Unde ergo huic omnia ista ?* Ergo etc.

℟. Et quidem ad primum dicimus cum Hieronymo lib. I. comm. in caput I. Matth. *Antequam convenirent ; non sequitur , ut postea convenerint. Sed Scriptura quod factum non sit , ostendit.* Et item S. Thomas quaest. XXVIII. art. tertio ad 1. *Sicut si aliquis dicat , antequam in portu pranderem , navigavi : non intelligitur , quod in portu prandeat , postquam navigaverit: Sed quia cogitabatur in portu pransurus. Et similiter Evangelista dicit , antequam convenirent , inventa est in utero habens de Spiritu Sancto : non quia postea convenerint : sed quia dum viderentur conventuri , praevenit Conceptio per Spiritum Sanctum : ex quo factum est , ut*

ulterius non convenirent. Ergo exclusio convenctionis praecedentis non includit convenctionem posteriorem.

Ad secundum, quoad primam partem, scilicet. *Non cognoscebat* (Josephus) *eam* , *donec peperit* etc., eadem est responsio. Vox enim *donec* indicat solum, quod ante partum factum non est, non vero includit, quod postea factum sit. Et quidem in Psal. CXXII. v. 2. habemus : *Oculi nostri ad Dominum Deum nostrum* , *donec misereatur nostri.* Nunquid Propheta per particulam *donec* intelligere volebat, quod post assecutam misericordiam averteret a Domino oculos suos? Ad alteram partem, scilicet vocabulum *primogenitum*, dico, quod vocabulum istud, praesertim in Sacra Scriptura, indicat tantum primum filium, etsi illum alii non sequantur. Unde S. Thomas quaest. XXVIII. art. 3. ad IV. scribit : *Dicendum , quod mos Divinarum Scripturarum est , ut primogenitum vocent non solum eum , quem fratres sequuntur , sed eum , qui primus natus est. Alioquin si non est primogenitus, nisi quem sequuntur fratres , tamdiu secundum legem Sacerdotibus primogenita non debentur , quamdiu et alii non fuerint procreati. Quod patet esse falsum : cum intra annum , et post mensem primogenita redimi mandentur secundum legem.*

Ad ultimum respondemus, quod Judaei nescientes Mysterium Divinae Incarnationis utique existimabant Christum Jesum Filium Joseph, et propterea admirabantur tantum illius sapientiam. Quoad fratres autem, et sorores respondet Divus Thomas ibidem, dicens : *Nos autem fratres Domini , non filios Joseph , sed*

consobrinos Salvatoris, Mariae Materterae Domini filios intelligimus. Quatuor enim modis in Scripturis fratres dicuntur, scilicet natura, gente, cognatione, et affectu. Unde fratres Domini dicti sunt, non secundum naturam, quasi ab eadem Matre nati, sed secundum cognationem, quasi consanguinei ejus existentes.

PARS III.

DE VERA CHRISTI HUMANITATE.

108. In duas classes distinguere fas est, qui male senserunt de vera Christi humanitate. Alii enim erraverunt circa animam; alii vero circa veram carnem. Apollinaristae, et Ariani Christo negarunt animam humanam, seu rationalem, et ad summum illi tribuerunt animam sensibilem. Circa corpus autem Manes, et Marcion dixerunt, Divinum Verbum assumpsisse tantum carnem phantasticam, ex quo phantaistae appellati sunt. Et Valentinus, et nonnulli alii dixerunt, assumpsisse carnem aeream, et Coelestem. Ut ergo contra omnes dogma catholicam vindicemus, sit

CAPUT I.

Ostenditur in Christo fuisse veram animam humanam, non vero sensibilem tantum.

109. Uti quisque facile videt, omnia, quae aguntur in hac parte, ad Incarnationis essentiam pertinent. Etenim si non vera anima rationalis, vel non verum corpus fuit in Christo, profecto nulli modo ipse dici posset verus homo. Contra quod expresse confitemur in Symbolo: ***Et homo factus est.*** Inde patet, quod de fide est sequens

PROPOSITIO IX.

In Christo fuit vera anima rationalis.

110. ***Prob.*** Christus fuit, sicut verus Deus, ita et verus homo. Sed non potest haberi verus homo sine anima rationali, quia homo definitur per animal ratione praeditum. Ergo etc. ***Prob. maj.*** Christus in toto fere cap. VIII, Evangelii Joannis se dicit, Filium Dei, et a Coelesti Patre missum in mundum, et tamen v. 40 dicit, se esse verum hominem: *Nunc autem quaeritis me interficere hominem, qui veritatem vobis locutus sum, quam audivi a Deo.* Quinimo saepe per antonomasiam se dicit filium hominis. Ergo Christus etc. Item cap. X. v. 17. dicit: *Propterea me diligit Pater: quia ego pono animam meam, ut iterum sumam*

eam. Hic primo se dicit Filium Dei, *Me diligit Pater*: et postea dicit, se habere animam, quam ponet, et iterum sumet. Anima isthaec nullimode esse potest Persona Divini Verbi, quia repugnat omnino, ut Deus, pati possit: nec dici potest solum sensibilis, sed necessario esse debet rationalis, quia sine ratione non potest esse principium intellectus, voluntatis, atque tristitiae etc, uti praesertim asseritur Matth: cap. XXVI. v. 38. *Tristis est anima mea usque ad mortem*. Ergo etc.

111. Hoc ipsum dogma certissime constat ex Divina Traditione, et expresse definitum est a Conciliis. Constat ex Divina Traditione, quia haec est doctrina communis SS. Patrum, quorum multi dicunt, Verbum redemisse, quod assumpsit. Sed redemit homines, qui constant anima rationali, et corpore. Ergo in Christo fuit anima rationalis. Alii, ut praesertim Athanasius, et Augustinus pro viribus confutarunt haeresim Apollinaris. Hanc ipsam haeresim aperte, et solemniter damnarunt multa Concilia, et quidem duo Alexandrina sub Athanasio, Romanum sub Damaso, et Constantinopolitanum primum. Sed Divina Traditio, quam habemus ex communi sententia SS. Patrum, est altera fidei regula: et definitiones Conciliorum de fide retinendae sunt. Ergo de fide est, quod in Christo fuit vera anima rationalis.

Solvuntur Objectiones.

112. Varia opponuntur ab Apollinaristis, inter quae praecipua sunt I. Verba Evangelii Joannis cap. 1. v. 14. *Et Verbum Caro factum est*. Ergo, dicunt,

Divinum Verbum non assumpsit totum hominem, sed tantum carnem. II. Et quidem, secus enim, si totum hominem assumpsisset, duae essent in Christo personae, Divina scilicet, et humana, quod et monstruosum est, et non arridet Ecclesiae Romanae: et quia etiam, propter non levia absurda, quae inde sequerentur, praesertim, quod duae essent in Christo voluntates, Divina scilicet, et humana, et invicem distinctae, quae simul in exercitio esse potuissent, et consequenter diversas simul elicere actus, et forsan etiam oppositos, quod utique repugnat. Tandem, quod si dicatur, semper in Christo concordes fuisse voluntatem Divinam, et humanam, ad quid haec? Nunquid omnes Christi actiones fieri non poterant per solam Divinam Voluntatem? Ergo si non repugnans, inutilis saltem in Christo dicenda est anima rationalis.

℟. Ad primum dicimus, quod per vocem *Carnem* intelligi debet integer homo. Haec figura saepissime adhibetur in Scriptura. Sic in Genesi cap. VI. v. 12. *Omnis quippe caro corruperat viam suam super terram.* Sed adde, quod ex Augustino epist. 140. alias 120, id factum est, ut magis significaretur Divini Verbi amor erga nos, quod adeo semetipsum exinanivit, ut vilem carnem assumpserit.

Ad secundum primo dicimus, quod non inde sequitur, ut duae essent in Christo Personae. Etenim, ut in §. 6 coroll. I. observatum est, persona, aeque ac in esse rationale, consistit quoque in esse incommunicabile. Et ex §. 8 coroll. III. si duae personae, sive sint duae simplices substantiae per se complete existentes, et

rationales, uti sunt Angeli; sive sint uniones plurium substantiarum in uno subjecto, uti sunt homines, ex hypothesi uniantur in unum compositum completum, tunc non duae, sed una erit persona. Nec ullo modo id repugnat. Etenim esse, vel non esse incommunicabile, id pendet a Divina Voluntate, non vero essentialiter convenit substantiae rationali. Secundo concedimus, imo etiam pro viribus tuemur, duas esse in Christo voluntates Divinam, et humanam. Quinimo propugnamus, omnes proprietates tam Divinas, quam humanas integras, et impermixtas remansisse in Christo, ita ut fuerit verus Deus, et verus homo. Id demonstratum est §. 12. Sed id fusius suo loco. Nec inde sequitur absurdum esse, quod scilicet simul essent in Christo diversi actus voluntatis. Si diversa nos dicimus in Christo principia, scilicet voluntates, procul dubio diversi quoque esse debent effectus. Tunc tantum aliquo modo esse posset repugnantia, si diceremus, diversos effectus simul product ab uno, et eodem principio. Quoad vero effectus oppositos, id omnino falsum est. Etenim humana voluntas in Christo contraria esse non poterat voluntati Dei. Secus enim subjecta fuisset formali peccato, quoniam revera in se peccatum nihil aliud est, nisi velle aliquid contra voluntatem Dei; id quod abhorret omnino cogitare in anima rationali a Divino Verbo assumpta in unitate Personae Divinae.

Ad ultimum respondemus, quod non solum utilis, imo et necessaria fuit in Christo anima rationalis cum suis facultatibus. Etenim hoc Mysterium Divinae Incarnationis super omnia altissimum est, et miraculum Di-

vinae Sapientiae, ut medium inventum sit quo plene satisfieret Divinae Justitiae pro infinita injuria illi allata ab hominibus, ut sic salvum fieret totum humanum genus. Si Deus tantum esset in Christo, tunc Deus esset causa omnium Christi operationum: et tunc primo nullatenus Christus nec pati, nec mori potuisset: haec enim nullatenus cadere possunt in Naturam Divinam: et secundo, idem Deus, simpliciter ut Deus sibi] satisfaceret, quod idem esset, ac parcere, quin locus ullus Divinae Justitiae daretur. Ergo necessarium fuit, ut animam rationalem cum humano corpore assumeret, ut sic pati, et mori potuisset Christus, ut homo, et meriti infiniti simul esset passio, et mors, propter hypostaticam unionem humanae naturae cum Persona Divini Verbi.

CAPUT II.

De humana Christi Carne.

113. Mirum certe praeter modum, quomodo fieri potuerit, ut ex iis, qui Christo nomen dederunt, adinventi sint, qui Christo ipsi veram negarent carnem. Si tota Christiana Religio in eo est, ut credamus, et confiteamur, Divinum Verbum factum esse hominem, et sic passum, et mortuum esse pro hominibus, quomodo verus homo esse potuisset sine vera humana carne? Quomodo sine vero corpore pati, et mori potuisset? Nunquid mortem in Christo non dicemus veram solutionem animae a corpore? Nunquid anima illius mor-

tua est ? Heu ! , quantorum errorum capax mens nonnullorum perditorum hominum ! Contra istos ergo sit de fide

PROPOSITIO X.

In Christo fuit verum humanum corpus , non vero phantasticum , aut aereum.

114 *Prob.* ex Scripturis. In Evangelio Joannis cap. I. v. 14. habemus. *Verbum caro factum est , et habitavit in nobis.* Item Lucae cap. XXIV. v. 39 : *videte manus meas , et pedes , quia ego ipse sum : palpate , et videte : quia Spiritus carnem , et ossa non habet , sicut me videtis habere.* Tertio Apostolus ad Romanos cap. I. v. 3. scribit. *Qui* (Christus) *factus est ex semine David secundum carnem.* Et ad Galatas cap. IV. v. 4. *At ubi venit plenitudo temporis , misit Deus Filium suum factum ex muliere factum sub lege :* Et idem Apostolus ad Philipp. cap. II. v. 7. *Semetipsum exinanivit formam servi accipiens , in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo.* Si ergo Verbum factum est caro : Si Christus factus est ex Muliere , ut caeteri homines fiunt ex matribus : Si semetipsum exinanivit , et verus homo inventus est : si in Christi corpore fuerunt ossa , ut palpabilis fuit illius caro quomodo phantastica , quomodo aerea ? Sed adde. Apostolus ad Romanos cap. II. v. 25. dicit quod justificati sumus ex Sanguine Christi. Et Apocalyp. cap. V. v. 9. legitur. *Redemisti nos Deo in sanguine tuo.* Quomodo sanguis , sine vera

carne ? Sed et quomodo vere pati , et mori potuisset Christus , sine vero corpore ? Ergo dicendum etc.

115. Brevitatis causa omittimus communem doctrinam SS. Patrum ; quae in omni saeculo fuit pro hoc essentiali dogmate Domiuicae Incarnationis , quia talis pro certo poni debet. Sed tamen , quia ad Ecclesiam pertinet judicium ferre de vera sententia Scripturarum, et fidei dogmata stabilire, afferimus auctoritatem aliquorum Conciliorum. Itaque Concilium Nicaenum sic loquitur de Filio Dei : *Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine*, *et homo factus est.* Concilium Ephesinum non solum contra Nestorium sustinet , Verbum vere factum fuisse hominem , et veram carnem assumpsisse : sed etiam approbat secundum anathematismum Beati Cyrilli , scilicet : *Si quis Dei Patris Verbum carni* , *et secundum hypostasim unitum . . . Aut unum cum sua carne Christum esse* , *eumdem nimirum Deum simul et hominem* , *inficiatus fuerit* ; *anathema sit.* Concilium Romanum sub Damaso sic se habet in eos , qui dixerint : *In crucis passione dolorem substinuisse Dei Filium Divinitate ipsa* , *et non carne* , *animaque rationali* , *quam assumpsit in forma Servi* , *anathema sit.* Chalcedonense act. V. definivit , Christum esse perfectum Deum , et perfectum hominem , ex anima rationali , et corpore constantem. Quinta Synodus generalis duas perfectas naturas in Christo confitetur. Et idem profitetur sexta Synodus item generalis act. 18. Ergo etc.

Solvuntur Objectiones.

116. *Ob.* Apostolus in priori Epist. ad Corinth. cap. XV. v. 27. sic scribit. *Primus homo* (Adam) *de terra terrenus* : *secundus homo* (Christus) *de Coelo*, *coelestis*. Ergo corpus Adae fuit terrenum, et corpus Christi fuit coeleste, phantasticum, aut saltem aereum.

℟. admittendo testimonium Apostoli, sed negando illationem. Totum in objectione allatum cap. XV. in eo est, ut demonstret veram Christi resurrectionem, ut inde deducatur quoque resurrectio hominum. Sed quomodo Christi resurrectio, nisi vera quoque fuisset illius mors? Ast quomodo vera mors, sine separatione animae a vero corpore, et quidem in Christo per acerbissimam passionem, et cruci affixionem? Ergo Christi corpus fuit ex vera carne, sanguine, et ossibus, quemadmodum nostrum. Et hisce adde, quod per resurrectionem corporis Christi deducit Apostolus resurrectionem nostram. Ergo ex vera carne humana, non secus ac nostrum, formatum erat corpus Christi. Secus enim si esset phantasticum, aut coeleste, nullius roboris fuisset Pauli argumentatio. Sed qua causa Apostolus vocat Adam terrenum, et Christum hominem coelestem? Id ex se patet. Quia scilicet terrena sapiebat Adam, et nonnisi coelestia Christus : Adam secutus est carnis corruptionem, Christus solam veritatem Spiritus. Quod si placet, adde rationem Hilarii, nempe, quod Christus dicitur homo de Coelo, et Coelestis, quia in Virginis utero conceptus fuit virtute Spiritus Sancti.

117. *C.* Atqui ex allato Pauli testimonio deduci debet, corpus Christi non fuisse ex vera humana carne, sed coelesti prorsus. Ergo etc. *Prob. subs.* Ibidem Apostolus v. 50. subdit. *Hoc autem dico, fratres, quia caro, et sanguis regnum Dei possidere non possunt: neque corruptio incorruptelam possidebit.* Ergo Christus non habuit corpus ex vera carne, et sanguine, sed coeleste prorsus, alioquin non potuisset intrare in regnum Dei.

℟. *neg. cons.* Ineptissime prorsus Heterodoxi ex allato versiculo perditam causam revocare conantur, cum potius inde ruat omnino; quoniam Apostolus in hoc loco confirmat id, quod diximus, et quasi ex positis antecedentibus concludit de nostra resurrectione, et gloria adipiscenda, si relictis, quae carnis, sive primi hominis, sunt, sequamur coelestia, et spiritualia, quae sunt ex secundo homine Christo. Et id evidentissime patet ex versiculis antecedentibus, et subsequentibus. Ex antecedentibus. *Qualis terrenus* (Adam) *tales terreni, et qualis Coelestis* (Christus) *tales coelestes* (qui spiritu Christi vivunt). *Igitur sicut portavimus imaginem terreni* (Adam): *portemus imaginem Coelestis* (sequamur exempla Christi). Ex subsequentibus in quibus habemus conclusionem. *Ecce mysterium vobis dico: omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimus. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem.* Ergo ex allato testimonio prorsus ruit causa Haereticorum.

118. *C.* atqui allatum Pauli testimonium interpre-

tandum est de carne Christi phantastica, aut Coelesti, non vero terrena, et humana. Ergo etc. *Prob. subs.* Idem Apostolus ad Philipp. cap. II. v. 7. loquens de Christo, ait. *In similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.* Ergo nonnisi hominis similitudinem accepit, et formam exteriorem, non autem verum corpus, et carnem humanam.

℟. Apostolus in objecto testimonio vocabulis *similitudinis*, et *habitus* intelligit veram naturam humanam, quae constat ex anima rationali, et vero corpore, non vero similitudinem, et formam apparentem. Solutio est Divi Thomae IV. contra Gentiles cap. XXIX., ubi ait: *Fictionis intellectus excluditur ab hoc, quod dicit in similitudinem hominum factus, per quod dicitur, formam servi accipiens. Manifestum est autem, formam pro natura poni, et non pro similitudine, ex hoc quod dixerat, qui cum in forma Dei esset: ubi pro natura ponitur forma. Non enim ponitur, quod Christus fuerit similitudinarie Deus ... Excluditur etiam fictionis intellectus per hoc, quod subdit: factus obediens usque ad mortem. Non igitur similitudo accipitur pro similitudine apparentiae: sed pro vera similitudine speciei, sicut omnes homines similes specie dicuntur.*

119 Sed adhuc instant. Atqui Apostoli locus intelligendus est de similitudine apparenti, non vero speciei. Ergo etc. *prob.* Idem Apostolus ad Romanos cap. VIII. v. 3 ait: *Nam quod impossibile erat legi, in quo informabatur per carnem: Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati.* Procul du-

bio hic similitudo carnis peccati non accipienda est pro similitudine speciei, sed solum apparenti; secus enim caro Christi prona fuisset ad peccatum uti tota species humanae carnis. Ergo similiter objectus Apostoli locus intelligendus est etc.

℟. *negando paritatem.* Procul dubio verba Apostoli, et cujuscumque Auctoris Canonici, accipienda sunt juxta doctrinam totius Sacrae Scripturae. Cum ergo Scriptura de Christo loquens, illum dicat Sanctum, innocentem, impollutum, et segregatum a peccatoribus, quin etiam peccati destructorem; idcirco verba ad Romanos intelligenda sunt de similitudine apparenti, et exteriori. Ast non ita, cum idem Apostolus scribit ad Philippenses: quia in innumeris Scripturae locis Christus dicitur verus homo, et corpus ejus doloribus, et morti subjectum, et sanguis effusus pro salute hominum.

PARS IV.

DE UNITATE PERSONAE IN CHRISTO.

120. Sensus hujus quartae dissertationis est juxta corollarium tertium §. 8 et corollarium VI. §. 11. Scilicet quaerimus, num Persona Divini Verbi realiter in unitate suae Personae Divinae assumpserit humanitatem, ea tamen ratione ut humanitas in Christo, scilicet anima rationalis cum vero corpore humano, quae humanitas ceteroquin juxta consuetam naturae legem fuisset persona humana, persona tamen non sit in Christo. Itaque tuemur cum Ecclesia Catholica, humanitatem in

Christo realiter unitam esse Personae Divini Verbi : et ex ac unione , non duas in Christo esse Personas , Divinam scilicet , et humanam , nec unam personam tertiam , sed solam Personam Divini Verbi , juxta corollarium VI. §. 11.

121. Contra , Diodorus Tarsensis , Theodorus Mopsuestenus , et maxime illorum acerrimus sectator Nestorius , dixerunt , Divinum Verbum uniri humanitati non realiter , sed solum per gratiam , sicut unitur caeteris justis , licet modo et gratia peculiari , et nobiliore : et propterea duas esse in Christo Personas , Divinam scilicet , et humanam. Felix , et Elipandus Hispaniarum Episcopi , quia dicebant Christum Filium Dei adoptivum , eumdem errorem secuti videntur , propterea quod admittebant in Christo Divinam Personam adoptantem , et humanam adoptatam. Brentius , ut scribit Bellarminus lib. III. de Incarnatione cap. VIII. hanc ipsam docuit haeresim : dicebat enim , Divinum Verbum uniri humanitati nihil aliud esse , quam attributa , et proprietates Dei tribui Christo , non revera quidem , sed per accidens , scilicet per dona gratiae accidentalia.

122. Ut ergo dogma catholicum statuatur de reali assumpsione humanitatis a Divino Verbo , et de unica Persona Divina in Christo , hos errores profligare opus est. Sed quoniam post Saecula inventi sunt , qui Nestorium tot Conciliorum anathemate perculsum, praesertim a Concilio Ephesino , et a S. Cyrillo Alexandrino duodecim Anathematismis jactatum, tamen summa audacia contenderunt , illum falso fuisse accusatum, et innocenter damnatum , ut praesertim Albertinus Calvinista in quodam o-

pere anonymo, et Baelius in dictionario V. de Rodon; idcirco visum est prius demonstrare, Nestorium revera promovisse, et defendisse haeresim, quae illi tribuitur, de duplici Persona in Christo. Itaque sit

PROPOSITIO XI.

Nestorius revera duas Personas in Christo propugnavit.

123. *Prob.* I. ex scriptis Nestorii. Et quidem primo in sua prima epistola ad S. Cyrillum tom. I cap. XIII. Concilii Ephesini, ait. *Quasi vero, quae in Dei Verbum naturaliter conveniunt, ea templi, hoc est corporis, conjunctissime penitus abolita sint... Rectum prohinde Evangeliaeque traditioni consentaneum est, ut Christi corpus Divinitatis templum esse fateamur.* Si per Nestorium Divinitas inhabitat in corpore Christi, non secus ac in templo, quomodo corpus in unitate personae Divinitati est conjunctum? Nunquid domum dicemus esse unam personam cum homine, qui in illa habitat?

124. II. Item Nestorius explicans suam doctrinam Patribus Concilii Ephesini in quaternione XVII. ut legitur tom. II. cap. VIII. Concilii, asserit, Christum non aliter esse Deum, quam improprie, et eodem ferme modo, quo Moses dicitur Deus. *Verbum* (inquit) *ut rerum omnium opificem Deum appellamus, et Moysem rursum Deum, ait enim: constitui te Deum Pharaoni... Ita quoque Dominum nostrum, et Deum, et Christum, et Sanctum appellamus. Verumtamen*

licet nominum communicatio similis sit; dignitate tamen dissimilis existit. Si ergo nomine tantum per Nestorium Christus est Deus, quomodo in illo assumptio humanitatis in unitate Personae Divinae?

125. Sed quod silentium imponere debet defensoribus Nestorii, sunt duodecim ipsius anathematismi, quos opponit totidem S. Cyrilli Alexandrini, quibus strenuus hic propugnator fidei Catholicae Mysterium explicat Dominicae Incarnationis. Anathematismi Cyrilli sunt. I. Christum esse verum Deum, et Mariam vere esse Deiparam. II. Naturas Divinam, et humanam, hypostatice unitas esse in Christo, et Christum esse unum, eumdemque Deum, et hominem. III. Easdem Naturas non conjunctas esse sola unione morali, sed etiam reali. IV. Ea, quae dicuntur de Christo, per communicationem idiomatum dici quoque de Deo, et homine. V. Christum esse verum Deum, et non purum hominem, seu Deiferum. VI. Verbum non esse Christi Deum, aut Dominum, sed unum Deum simul, et hominem. VII. Christum non esse hominem Verbo Divino unitum, velut ejus organum, et instrumentum. VIII. Una, et eadem adoratione adorandum esse *Emmanuelem*, quatenus Verbum factum est caro. IX. Christum non accepisse virtutem patrandi miracula a Spiritu Sancto, quasi ab ipso alienum, sed una, et eadem divina virtute sibi propria illa fuisse operatum. X. Verbum Dei esse nostrum Pontificem, quod pro nobis obtulit Sacrificium. XI. Carnem Domini esse vivificam non virtute emendicata a Verbo quoad dignitatem tantum, sed hypostatice sibi conjuncto. XII. Verbum vere passum esse in sua carne, et propria vir-

tute resurrexisse a mortuis. Hisce anathematismis mire explicat Cyrillus Mysterium Divinae Incarnationis, et idcirco dogma unitatis Personae Divini Verbi in Christo, sive verae hypostaticae unionis humanitatis cum Divino Verbo. Videamus quid de illis sentit, et loquitur Nestorius.

126. Duodecim alios Nestorius opponit. Et quidem I. dicit, Christum non esse *Emmanuelem*, seu Deum, neque Mariam esse Deiparam. II. Christum non esse unum cum Deo natura, et hypostasi. III. Utramque naturam non conjugi in una Filii Persona. IV. passiones, et tollerantias non esse Verbo tribuendas. In V. apertissime negat hypostaticam unionem, dicens. *Si quis unum esse post assumptionem naturaliter Dei Filium audet dicere, cum sit Emmanuel, anathema sit.* In VI. asserit, Christum non propria virtute surrexisse a mortuis. In VII. dicit, Christnm non esse unigenitum Dei Filium, nisi appellatione, et appropriatione propter unionem cum eo, qui est naturalis Dei Filius. In VIII. Verbum non assumpsisse formam servi, nisi tantum appellatione, propter affinitatem cum Filio Mariae. In IX. Christum non propria virtute patrasse miracula. In X. Verbum non esse nostrum Pontificem. In XI. Christi carnem esse vivificatricem tantum virtute a Deo emendicata. In XII. tandem iterum dicit, passiones, et dolores non esse Verbo tribuendas. Et hisce Anathematismis se opponit doctrinae S. Cyrilli, qui tanto zelo, et labore studuit firmare catholicum dogma de vera hypostatica unione humanae naturae cum Divino Verbo, et propterea de unitate Personae Divinae in Christo. Qua audacia ergo Nestorius iste excusari, et defendi potest

ab haeresi, quod scilicet duas personas in Christo propugnaverit?

127. Sed ne nimium concedatur temeritati eorum, qui impudentissime amplexi sunt partes purgandi Nestorium ab haeresi, quae illius est propria, omittimus innumeras alias rationes, et momenta, quibus Nestorii haeresis evidenter ostenditur; et damnationis sententiam in ipsum solemniter latam solummodo afferimus. Itaque praeter perentorias comminationes, et minas, duas quoque sententias solemniter, et definitive latas habemus contra Nestorium, alteram a Papa Coelestino primo, et alteram a Concilio Ephesino. Sententia Coelestini haec est. *Quamobrem hoc tibi persuasum habeas, velim, nisi de Christo Deo nostro ea tenueris, et docueris, quae et Romana, et Alexandrina, et universa Ecclesia Catholica tenet, et docet, Sanctaque Magnae Constantinopolis Ecclesia, usque ad tuum Episcopatum tenuit, et docuit, et perfidam illam novitatem, quae ea divellere nititur, quae Sacra Scriptura conjungit, intra decem dies, post hanc admonitionem ad te perlatam enumerandos, aperta scriptaque confessione detestatus fueris, ac repudiaveris, ab universae Ecclesiae Catholicae communione, quamprimum te expulsum, proscriptumque iri: et hoc nos plane facere in animam induxisse.*

128. Concilium autem Ephesinum tomo II. cap. X. primum dicit, Nestorium admonitioni, et comminationi parere noluisse: deinde sic suam in illum ultimam sententiam pronuntiat. *Igitur Dominus noster Jesus Christus, quem suis ille blasphemis vocibus impetivit,*

per sacram hanc Synodum eumdem Nestorium omni prorsus episcopali dignitate privatum , et ab universo nihilominus sacerdotum consortio , et coetu alienum esse decernit. Non video quid hisce sententiis responderi possit. Concludendum igitur etc.

129. Ex ratione autem Theologica sic argumentamur. Nequit in dubium revocari, quod Nestorius negavit , Mariam esse Matrem Dei. Nunc dicat , Maria genuit ne revera et peperit filium suum Christum ? Non negat Nestorius. Sed mulier quae revera generat , et parit , est vera Mater ejus , quem generavit , et peperit. Ergo Maria est vera Mater Christi. Sed nec Nestorius dixerit , Christum non esse personam. Ergo per Nestorium Christus , ut persona , est Filius Mariae. Nunc quaero , est ne Christus purus , et simplex homo , an vero Deus etiam ? Si illud : in aliam haeresim incidit Nestorius , nullimode scilicet admittens Mysterium Divinae Incarnationis. Si hoc : Ergo per Nestorium duae personae sunt in Christo , Divina , qua est Deus , et humana , qua est Filius Mariae , ergo dicendum , quod Nestorius revera etc.

130. Sed non pigeat aliud momentum addere ex Historiographis , quod in praesenti quaestione suum habet locum. Sed brevitatis causa unum afferimus Vincentium Lyrinensem. Iste igitur in Commonitorio cap. XVII. ait: *Nestorius contrario Apollinari morbo , dum se duas in Christo substantias distinguere simulat , duas introducit repente personas , et inaudito scelere duos esse vult Filios Dei , duos Christos : unum Deum , alterum hominem.*

Solvuntur Objectiones.

131. *Ob.* Nestorius serm. XII. sic perstringit Paulum Samosatenum, qui asserebat Christum purum hominem: *In stupore dentium remaneat Paulus Samosatenus, qui nobis Dominicam Incarnationem nudam a Deitate delirat, qui solam praeter Divinitatem fabulatur hanc, quae semper conjuncta est, atque connexa, quae eadem, ac pariter potest, quae Deus.* Si ergo Nestorius ita loquitur contra Paulum Samosatenum, qui Christum dicebat purum hominem, dicendum, quod credebat Christum hominem, et Deum. Et consequenter innocens est ab haeresi, quae illi tribuitur.

℟. Concedimus utique, sententiam Nestorii esse oppositam sententiae Pauli Samosateni: sed non inde sequitur, quod convenit cum sententia Catholicorum. Est opposita sententiae Pauli Samosateni, quia haereticus iste dicebat, Christum adeo esse purum hominem, ut non differret a caeteris, et quandoque extitisse sine Divino Verbo. Nestorius contra admittebat unionem, sed moralem tantum, ita ut non una esset persona, et haec Divina, sed duae, Divina scilicet, et humana. Et in hoc erat quoque contraria sententiae catholicae, quae adeo veram, et realem docet unionem naturae humanae cum Divina, ut illa non in se subsistat, sed in Persona Divini Verbi; et idcirco una sit in Christo Persona, et haec Divina. Unde in libello accusationis haec habentur: *Paulus Samosatenus ait: Maria e-*

didit hominem nobis similem, *Nestorius dicit*, *qui ex Virgine natus est*, *homo est*. Et Nestorius ipse in sermone primo ait: *Non per seipsum Deus est*, *quod in utero figuratum est.*

132. *C.* Atqui Nestorius non moralem, sed veram admisit unionem inter Naturam Divinam, et humanam. Ergo etc. *Prob. subs.* In citato loco Nestorius dicit, humanitatem in Christo ex conjunctione cum Divino Verbo eadem posse, ac potest Deus ipse. Ergo etc.

℟. Cum Nestorius dicit, humanitatem in Christo ex unione cum Divino Verbo omnia posse, ac Deus ipse, id intelligit, quia humanitas est tanquam ministra, et instrumentum, quo Deus operatur; non vero quod in unitate personae unita sit cum Verbo. Id manifeste apparet ex nono anathematismo ipsiusmet Nestorii, in quo dicit, Christum non propria virtute patrasse miracula, sed emendicata a Spiritu Sancto.

133. *C.* Atqui Nestorius non moralem tantum, sed veram hypostaticam unionem agnovit naturae humanae cum Divina: ergo etc. *Prob.* Nestorius serm: secundo sic loquitur: *Christus secundum quod est Christus*, *indivisus est*, *et Filius secundum quod est filius*, *indivisus est*: *non enim habemus duos Christos*, *aut duos filios*: *neque est apud nos primus Christus*, *et secundus*, *neque alter et alter*, *neque iterum alter filius et iterum alter filius*, *sed idem ipse est duplex*, *non dignitate*, *sed natura.* Ex quibus sic argumentari licet: Nestorius unum fatetur filium, unum Christum: quod si dicit quoque duplicem, talem asserit non dignitate, sed natura solum. Sed haec eadem est do-

ctrina catholica, quae dum fatetur unum filium, et unum Christum, non unam tamen, sed duplicem naturam in Christo agnoscit, Divinam scilicet, et humanam. Ergo Nestorius etc.

℟. *dist. maj.* Nestorius unum fatetur filium etc. unitate morali, honoris, dignitatis, et etiam adorationis, *conc.* unitate vera, et hypostatica, *neg. maj.* Et contradistincta *min. neg. cons.* Itaque Nestorius, quia admittebat moralem conjunctionem Divini Verbi cum humanitate, idcirco unum dicebat filium, Christum, et etiam Dominum; sed unum intelligebat unitate juris, qualis agnoscitur inter conjuges, quorum prerogativae sunt communes, etsi sint duae distinctae personae: et propterea dicebat quoque, Christum appellandum esse Deum, et adorandum, quasi eodem modo, quo mulieri debentur tituli, et honores, qui sunt proprii, et debentur illius viro. Hanc esse veram Nestorii sententiam clare patet ex illius anathematismis (126), in quibus omnino rejecit veram hypostaticam unionem: praesertim anathematismo V., ubi dicit: *Si quis unum esse post assumptionem hominis naturaliter Dei Filium audet dicere, cum sit Emmanuel, anathema sit.* Quis hic non videt, quod Nestorius agnoscit quidem Christum Emmanuelem, scilicet Deum nobiscum, sed nomine tantum, et dignitate, non autem verum, et naturalem Dei Filium? Verum quidem, quod in objectis verbis Nestorius, quantum potest, suam impietatem nititur occultare, quod in more positum est Haereticorum, qui subdolis verbis, et vocibus ambiguis, et quasi catholicis, suum virus in corda simplicium in-

sinuare contendunt. Sed frustra prorsus id faciunt Patroni Nestorii, quoniam nullimode excusari potest suae haeresis, quantumvis suboscura verba aliquoties adhibeat, causa vitandi damnationis sententiam.

134. *C.* Atqui reipsa sententia Nestorii de Divini Verbi Incarnatione catholica est, et illa prorsus eadem, ac fuit S. Cyrilli. Ergo etc. *Prob.* Nestorius in sua Epistola ad Cyrillum ita profitetur: *Credimus in Dominum nostrum Jesum Christum Filium ejus unigenitum . . . Neque ea, quae filiationis, et proprietatis sunt, scindantur, neque ea rursum, quae naturarum sunt, propter filiationis singularitatem in confusionis periculum adducantur.* Et ibidem tandem dicit Cyrillo: *In eo autem non injuria te laudo, quod distinctionem naturarum secundum Divinitatis, et humanitatis rationem, harumque in una duntaxat persona conjunctionem praedicas.* Ex quibus sic. Nestorius confitetur Jesum Christum Dominum nostrum et unigenitum Filium Dei, neque scindit filiationem, neque confundit naturas. Et item laudat Cyrillum eo quod easdem distinguit naturas, et simul conjungit in unitate personae. Sed haec est doctrina Catholica, et Cyrilli de Divina Incarnatione. Ergo reipsa etc.

℟. Nestorius voce tenus, non vero re, et in sensu catholico, uti Cyrillus, agnoscit, et confitetur Jesum Christum unigenitum Filium Dei, honore scilicet, et dignitate, non vero hypostatica unione. Et id clare ostendunt illius verba immediate subsequentia: *At vero utrum reliqua occultam aliquam, et incomprehensibilem sapientiam legentium auribus inferant, id tuae*

solertiae fuerit dijudicare : mihi sane cum antecedentibus adeo non cohaerere videntur .. . Quasi vero , quae in Dei verbum naturaliter conveniunt, ea templi , hoc est corporis , conjunctione penitus abolita sunt. Si per Nestorium Corpus Christi est veluti templum , in quo Deus inhabitat , quomodo re , et non nomine tantum et honore Christus erit unigenitus Dei Filius ?

Nec fucum faciant verba , quibus Nestorius laudat Cyrillum , eo quod distinguit naturas , et easdem conjungit unitate personae. Etenim duplici modo intelligit personam in Christo , essentialem et veram , quae est persona humana , et Divinam nomine tantum , et honore. Quapropter per Nestorium aliud est Verbum , et aliud est Christus. Et hanc suam mentem aperte manifestat in laudata epistola : etenim dicit : *Observa hic quomodo Dominum nostrum Jesum Christum unigenitum , nomina utique , quae humanae , Divinaeque Naturae ex quo conveniunt , neque ea , quae filiationis , et proprietatis sunt , scindantur , rectum proinde , Evangelìaeque traditioni consentaneum est, ut Christi corpus Divinitatis templum esse confiteamur ; illudque nexu usque adeo sublimi , divinoque , et admirabili ipsi conjunctum esse statuamus , ut Divina Natura ea sibi vindicet , quae corpori alioqui sunt propria.* Ergo Nestorius , dum dicit unum Christum , et unum Verbum , utrumque separat. Et hoc ipsum confirmat in sermone quarto dicens : *Ego natum , et mortuum Deum , et sepultum adorare non queo.* Ergo Persona Verbi per Nestorium non est Per-

sona Christi mortui. Idipsum confirmatur ex Symbolo Nestorianorum, quod sic se habet: *Neque duos Filios, aut duos Dominos dicimus, quandoquidem unus est tantum per essentiam Filius, nempe Deus Verbum cui conjunctus hic est homo Dei comparticeps; consors enim est appellationis, et honoris filii, ac essentialiter quidem Dominus est Deus Verbum: cui hic copulatus particeps est honoris: ideo nec duos filios, nec duos Dominos dicimus.* Quid clarius, ut dicamus, Nestorium admisisse in Christo personam humanam pro vera, et Divinam quoad nomen tantum, et honorem?

135. *C.* Atqui Nestorius agnovit in Christo unitatem personae vera unitate substantiali, non vero dignitatis tantum, et honoris. Ergo etc. *Prob.* In eadem epistola ad Cyrillum sic loquitur Nestorius: *Quia enim mortis facturus erat Sanctus Paulus mentionem, ne quis hinc Dei Verbum patibile esse colligeret, et subjungit nomen hoc* Christus, *quod utramque naturam, possibilem, inquam, et impatibilem in unica persona denotat . . . Ut Divina Natura ea sibi vindicet, quae corporis alioqui sunt propria.* Ex quibus sic. Qui admittit in Christo communicationem idiomatum, admittit quoque veram hypostaticam unionem. Sed allatis verbis Nestorius admittit comunicationem idiomatum. Ergo etc.

℟. Et hic quoque Nestorius loquitur de communicatione idiomatum quoad nomen tantum, et honorem, non autem de vera, quae fundatur in hypostatica unione. Et id patet ex verbis, quae immediate subdit:

Verum propter eam , sive communicationis , sive appropriationis notionem , nativitatem , passionem , mortem , caeterasque carnis proprietates Divino Verbo adscribere , id demum , mi frater , mentis est Paganorum vere errantis , aut certe insani Apollinaris , et Arii. Ergo communicatio idiomatum ex mente Nestorii est tantum in nomine , et honore , non autem in sensu Catholicorum.

136. *C.* Sed communicatio idiomatum Nestorii eadem prorsus est , ac illa Catholicorum. Ergo etc. *Prob.* In eadem saepius repetita epistola Nestorius sic de communione idiomatum loquitur. *Idem nimirum Christus patibilis simul , et impatibilis citra fidei discrimen concipi queat ; illud quidem secundum humanam naturam , hoc vero secundum Divinam.* Et quidem veram rationem adducit , dicens : *Ubicumque Divinae Scripturae Dominicae dispensationis mentionem faciunt , cum Incarnationem , tum ipsam quoque mortem , et passionem , non Divinae sed humanae Christi naturae semper tribuunt.* Hisce Nestorii dictis non video quid clarius addi possit , aut immutari , ut vera orthodoxa fides exprimatur. Numquid Ecclesia Catholica docet , Deum , ut Deum , pati posse , et mori ? Sed docet , Deum hominem factum , scilicet Christum, mortuum esse. Ergo aeque ac Nestorius , Ecclesia Catholica docet , Christum passum , et mortuum esse , ut hominem , non vero ut Deum. Et propterea communicatio idiomatum etc.

℟. Si Nestorius hac in fide dubius non esset , quinimo nisi certo constaret , uti diximus in demonstratio-

nibus, Nestorium nullatenus admittere veram hypostaticam unionem humanae, et Divinae Naturae in Christo, ex qua habetur vera communicatio idiomatum, libenter daremus, allata modo Nestorii verba, dummodo tamen separatim accipiantur, non esse contraria doctrinae Catholicorum. Sed cum dubitari non liceat, quin Nestorius credat Christum purum hominem, et nonnisi honore tantum dici Deum, propter scilicet peculiarem adsistentiam Divini Verbi; inde fit, ut dum dicit, Christum patibilem ut hominem, et impatibilem ut Deum, non intelligamus, illum admittere, et fateri veram communicationem idiomatum, sed solum pariter quoad honorem, et nomen. Et quidem ipse idem post laudata verba suam aperit mentem, dicens: *Quapropter si rem diligentius consideremus, sacratissima Virgo non Deipara, sed Christipara appellanda erit.* Audis, Mariam per Nestorium non esse Deiparam sed tantum Christiferam? Ergo per Nestorium Christus non est verus Deus, sed nomine tantum, et honore. Ergo pariter non vera, sed nomine tantum, et honore per Nestorium est communicatio idiomatum.

137. Sed adhuc insistunt Nestorii defensores, dicentes. Viri magnae auctoritatis, non mediocri studio Nestorii patrocinium susceperunt, et nonnulli alii ab haeresi illi attributa excusarunt. Ergo bona venia potius, quam summo rigore illius verba sunt accipienda. Et quidem Joannes Antiochenus, utique vir dignus, et qui Nestorii mentem cognoscebat, illius partes tanto zelo defendendas suscepit, ut non adhuc absoluto Concilio Ephesino, in quo Nestorius sycophantose accusabatur,

aliud Concilium in eadem urbe adunaverit, in quo, rejecta et rescissa fuerunt, quae in illo acta fuerant, contra Nestorium. Et insuper epistolam dedit ad Patres Concilii Ephesini, ut habemus ex cap. XXV. primae partis illius, in qua dicit, Nestorium reipsa eamdem tenere sententiam cum Catholicis, etsi voces non adhibeat orthodoxas. Item Theodoretus scribens ad Alexandrum Constantinopolitanum magnis laudibus celebrat Nestorium et quoad mores, et quoad fidem. Et ut caeteros sileam, Socrates historiographus lib. VII. historiae Eccles. cap. XXXII. Etsi dicat, Nestorium fuisse hominem imperitum, excusat tamen ab haeresi, quod defenderit Beatissimam Virginem esse Matrem puri hominis. Ergo etc.

℟. Fatemur quidem, nonnullos partim ex amicitia cum Nestorio, et partim ambiguis, et subdolis illius verbis deceptos, eumdem excusasse ab haeresi, de qua agitur. Sed hi pauci stare non possunt contra Cyrillum, contra S. Pontificem Leonem, et ne referam multos probatissimos Historicos, contra tot Patres Oecumenici Concilii Ephesini: quinimo et contra Nestorium ipsum[1], qui praesertim in suis anathematismis manifestissime ostendit suam haeresim. Nihilominus quod ad objectos viros pertinet, dicimus I. quod Joannes Antiochenus errore facti deceptus contra Synodum Ephesinam insurrexit. Et quidem postquam melius rem cognovit, a proposito resipuit. Quod ad Theodoretum spectat, nulla fides illi hac in re habenda est: Ille enim veluti Nestorii haeresi aspersus in Chalcedonensi synodo non sedit Judex contra Eutychetem, donec doctrinam Nestorii

publice damnaret. Nec item fides habenda est Socrati, qui parum de sacra doctrina benemeritus facile decipi potuit verbis Nestorii, quae, ut hactenus dictum est, dolo plena speciem habebant fidei orthodoxe. Sed exponamus dogma Catholicum.

PROPOSITIO XII.

Humana natura vera unione hypostatica assumpta est a Divino Verbo: Et idcirco una Persona fuit in Christo, et haec Divina.

138. ***Prob.*** Christus est verus Deus (prop. V. §. 45). Sed in ipso fuit quoque vera anima rationalis (prop. IX. §. 110) : et item verum humanum corpus, non vero phantasticum, aut aereum (prop. X. § 114). Ergo natura humana, quae habetur ex anima rationali, et vero corpore, unione hypostatica unita est cum Natura Divina. Ergo etc. ***Prob.*** illatio. Si non vera unione hypostatica humana natura unita esset in Christo cum Natura Divina, tunc in Christo duae essent Personae, divina scilicet, quia est verus Deus, et humana, quia vera rationalis anima, et corpus in ipso sunt. Sed hoc repugnat, et contrarium est Sacris Scripturis, et doctrinae Ecclesiae. Ergo etc. ***Prob. min.*** quoad singulas partes.

139. Et quidem repugnat. Si in Christo duae essent Personae, unaquaeque nihil cum altera commune haberet : etenim persona non solum dicit esse rationale, sed etiam completum, et incommunicabile (§. 6) : quo-

circa si duae essent in Christo Personae, ipsae essent completae, et terminatae in se, et invicem incommunicabiles, et independentes. Ergo non unus, sed duo essent Christi, divinus, et humanus, quod implicat interminis, quorum unus nihil commune haberet, cum altero. Nunc quaero: Christus, qui mediator est inter Deum, et hominem, qui passus, et mortuus est, ut Divinae Justitiae faceret satis pro peccatis hominum, praestitit ne haec omnia uti Persona divina, an vero ut simpliciter humana? Non illud, quia Persona Divina, ut simpliciter Divina, nec pati, nec mori potest, nec esse mediator sui ipsius. Nec alterum, quia passio, et mors purae creaturae non possunt destruere infinitam peccati malitiam: quia mediator item esset inter seipsum, et Deum: et maxime quia tunc inutile prorsus fuisset, ut in Christo esset Persona Divina; et propterea actum omnino esset de Mysterio Incarnationis Divini Verbi. Et requidem vera: si una non esset in Christo Persona, sed duae, certe utraque complete per se subsisteret, et tunc nulla esset communicatio idiomatum: et proinde actiones personae humanae in Christo nullum meritum recipere possent a Persona Divina. Quod si dicas, Christum Mediatorem esse ut Deum, et hominem: tunc si admittas communionem idiomatum utriusque naturae, et passionem, ac mortem Christi esse meriti infiniti respectu Naturae Divinae, tunc concedatur oportet, unam esse in Christo Personam, et hanc Divinam, ut quae in se essentialiter completa est, et absolute incommunicabilis, uti in §. 11 coroll.6.

140. *Prob.* Secunda min. pars; scilicet quod ad-

mittere duas in Christo Personas opponitur Sacris Scripturis. Et quidem Joannis cap. I. habemus: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum . . . Et Verbum caro factum est.* Ergo idem Verbum, sive eadem secunda Persona Divina facta est caro, sive homo. Ergo Christi humanitas pertinet ad Personam Divini Verbi. Quomodo ergo persona humana in Christo? Nunquid altera humanitas in Christo, aut eadem pertinet simul ad Personam Divinam, et humanam, in quo casu persona omnino diversa erit pars alterius Personae? Deinde Apostolus ad Philippenses cap. II. v. 6 de Divino Verbo scribens, ait: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo: sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo: humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem.* Quid clarius? Hic dicitur, quod Persona Divini Verbi semetipsam exinanivit; quod facta est homo, quod facta est obediens usque ad mortem. Quomodo ista simplici Divinitati convenire possunt? Sed et quomodo formam servi accepit, nisi in unitate personae humanitas sibi conjuncta esset? Ergo Persona Christi est Persona Divini Verbi, cui hypostatice unita est humanitas, propterea quod ista omnia illi conveniunt. Ergo in eodem Christo non est persona humana, alioquin ista eadem essent propria personae humanae, et nullimode dici possent de Persona Divina. Tandem, ut omittamus innumera fere testimonia, idem Apostolus ad Galatas cap. IV v. 4. scribit: *At ubi venit plenitudo tem-*

poris , misit Deus filium suum , factum ex muliere, factum sub lege , ut eos , qui sub lege erant , redimeret , ut adoptionem filiorum reciperemus. Ergo Divinum Verbum , quod ab aeternitate fuit consubstantialis Filius Patris , idem in plenitudine temporis a Patre missum , factum est Filius ejusdem ex muliere , et quidem ut homines redimeret , et Dei filios redderet adoptivos. Ergo Christus est idem Æternus , et Naturalis Dei Filius , qui in tempore humanitate est indutus in utero Virginis Mariae. Ergo humanitas in Christo non est persona , et quidem distincta a Persona Verbi: sed in unitate Personae Divinae unita est cum Divino Verbo.

141. *Prob.* tertia ejusdem minoris pars , quod scilicet contrarium est doctrinae universalis Ecclesiae. Et quidem 1. antiquissima , constans , et universalis fuit doctrina Patrum , quod in unitate Personae Divinum Verbum humanam naturam assumpsit , ita ut idem , et unus Christus Deus , et homo sit. Id constat ex Ephesino Concilio parte prima , actione prima , ubi innumeri recensentur Patres. Nos tamen paucos enumeramus. Itaque hoc docuerunt Dionysius Alexandrinus in Epist. Synodica ad Paulum Samosatenum : S. Ignatius, qui scripsit : *Singuli viri communiter omnes in gratiam ex nomine convenere in una fide , et in uno Jesu Christo secundum carnem ex genere David Filio hominis , et Filio Dei.* S. Ilarius toto secundo libro de Sanctissima Trinitate. Sed caeterorum instar sit Ambrosius lib. de Incarnatione cap. V. ubi ait: *utrumque unus , et unus in utroque , hoc est vel*

Divinitate, *vel corpore*, *non enim alter ex Patre*, *alter ex Virgine*. Omittimus S. Cyrillum, quoniam notum est, quantum elaboraverit pro hoc dogmate contra Nestorium, praesertim suis anathematismis.

142. Sed universalis Ecclesiae doctrina manifeste apparet ex Symbolo S. Athanasii, quod ab universa Ecclesia receptum est. In ipso haec profitemur: *Est ergo fides recta*, *ut credamus*, *et confiteamur*; *quia Dominus noster Jesus Christus Dei Filius*, *Deus*, *et homo est. Deus est ex substantia Patris ante saecula genitus*: *et homo est ex substantia Matris in saeculo natus*. Ergo unus est Christus, et hic Filius Dei. Igitur in ipso est Persona Divina. Et quidem haec ipsa una est, licet dupliciter genita, ab aeterno scilicet a Patre, et in tempore carne induta a Maria. Quid clarius? Sed pergamus: *Qui licet Deus sit*, *et homo*: *non duo tamen*, *sed unus est Christus. Unus autem non conversione Divinitatis in carnem*; *sed assumptione humanitatis in Deum. Unus omnino non confusione substantiae*: *Sed unitate personae*. En tota catholica fides de Dominica Incarnatione. Et quidem ita concludit: *Haec est fides catholica*. Si ergo ista est fides catholica, ut scilicet Dei Filius sit Deus, et homo, et quidem ut non sint duo, sed unus Christus, et iste unus non ex conversione Divinitatis in hominem, sed ex assumptione humanitatis in Deum: et quidem non ita unus, ut confuse, et permixtae sint substantiae Divina, et humana, sed ut una sit Persona; quomodo non vera unione hypostatica humanitas assumpta est a Persona Verbi? quomodo non

unica Persona in Christo, et haec non humana, non alia tertia, sed Divina? Concludendum igitur etc.

143. Sed non solum Athanasius in supradicto suo Symbolo, quod quia ab universa Ecclesia receptum est, ipsiusmet Ecclesiae declarat doctrinam, sed Nicaenum quoque Concilium, quod universam Ecclesiam repraesentat, idem credendum proponit in symbolo fidei, dicens de Filio Dei: *Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam etc.* Et ita etiam de fide definitum est in Concilio Ephesino contra Nestorium, nec non in Concilio Chalcedonensi, et quinto Generali. Quid aliud desiderari possit, vel saltem excogitari, pro firmitate catholici dogmatis in nostra thesi expositi, prorsus non video. Concludendum igitur etiam de tertia parte, scilicet, quod repugnat Divinae universae Ecclesiae etc.

Solvuntur objectiones.

144. In Scripturis Christus dicitur Filius hominis, et fides catholica tenet, Christum esse verum Deum, et verum hominem. Sed verus homo est persona. Ergo duae personae sunt in Christo, Divina scilicet et humana.

℟. Dum in Scripturis Christus dicitur Filius hominis et Ecclesia eumdem confitetur perfectum hominem, hoc unum intelligitur, scilicet in Christo esse veram rationalem animam, et verum humanum corpus: hoc est Divinum Verbum veram humanitatem assumpsisse. Sed

veram istam humanitatem a Divino Verbo assumptam esse in unitate suae Personae, ita ut in Christo unica sit Persona, et haec Divina, omnibus rationibus jam a nobis demonstratum est.

145. *C.* Atqui si Christus est verus Deus, et verus homo, duae personae in ipso debent esse, Divina scilicet, et humana. Ergo etc. *Prob. min. subs.* Si Christus est perfectus homo, ipse est perfectum individuum humanae speciei. Sed perfectum individuum humanae speciei est id, quod dicitur persona humana. Ergo si Christus, ut est perfectus Deus, est quoque perfectus homo, duae etc.

℟. Negando suppositum. In hoc syllogismo ponitur pro certo, quod persona consistit dumtaxat in esse rationale: Sed falso, quia necessario quoque requiritur esse incommunicabile, uti notatum est §. 6. et sequent. Ex quo fit, ut Angelus sit persona, et non sic anima humana, quia haec, et non ille naturaliter dicit unionem cum altera substantia, ut subjectum sit completum. Et id quidem, ut quisque videt ex allatis exemplis, pendet a Divina voluntate. Ex quo recte sequuntur corollaria §§. 7. 8. et sequent: Si ergo non essentialiter anima unita cum corpore, sive individuum humanae speciei, est persona, sed tantum ex Dei voluntate, qui sic voluit, ut anima rationalis unita cum corpore sit humanum individuum completum, et naturaliter incommunicabile, ecquis dicere audebit, eumdem Deum efficere non posse, ut idem compositum ex anima et corpore, dicat ulteriorem unionem, et sic, uti non amplius completum suppositum, non amplius

etiam sit persona? Meminerimus, quod omnia, quae rebus creatis conveniunt ratione systematis, et omnes leges physicae naturales, sunt ex libera Dei voluntate, et Dei voluntate perfecte subsunt. Ergo si de facto, ut non solum Catholici, sed etiam Christiani omnes tenent, et credunt, quod humanitas in Christo unita est Divino Verbo, ipsa non est Christi Persona, sed sola Persona Divini Verbi, ut quae essentialiter in se est completa, et repugnat ut non sit Persona, tum quia omnia in Deo sunt necessaria, tum quia repugnat in Divinis, ut non sit Persona Divini Verbi, quae est terminus prioris Dei operationis *ad intra*.

146. *C*. Atqui in Christo est etiam persona humana Ergo etc. *Prob.* De Christo vere dicitur, quod passus, et mortuus est. Sed haec dici nequeunt de Persona Divina. Ergo vera sunt de persona humana, quae fuit in Christo.

℟. Admis. maj. *dist. min.* Dici nequeunt de Persona simpliciter Divina, et ut est in se, *conc.*, dici nequeunt de Persona Divina, cui unita est humana natura, *nego min.* et consequentiam. Utique repugnat, Divinam Personam simpliciter consideratam qua Divinam, et ut est in se, pati quidquam posse. Quocirca cum Ecclesia Catholica dicit, Christum verum Deum, passum, et mortuum esse, nusquam intelligit, Deum in se, et ut Deus est, mortuum fuisse, aut aliquem sensisse dolorem: sed passum, et mortuum fuisse in humanitate hypostatice sibi assumpta: hoc est, non Divinam Naturam, sed humanam revera dolores pertulisse, et mortem; sive animam rationalem in Christo sensisse dolorem ex cru-

ciatibus in corpore, et reipsa a corpore in morte fuisse separatam, licet nullum dolorem revera, et in se senserit Divinitas. Verum quia anima, et corpus humanum unitum erat cum Divino Verbo in unitate Personae Divinae; et quia quaecumque dicuntur de parte compositi, vere dicuntur quoque de persona ejusdem, idcirco fides catholica vere tenet, et confitetur, Deum passum, et mortuum fuisse pro salute hominum. Et id propter communicationem idiomatum, ut mox videbimus.

147. Sed instant adversarii. Catholici dicunt, in Christo esse verum, et totum humanum individuum, et tamen non esse personam humanam. Quod si quaeras rationem, respondent, id factum esse, quia ad constitutivum personae non sufficit tantum esse rationale, sed requiritur quoque esse incommunicabile, quod alterum d fuit humanitati Christi, quoniam de facto unita fuit Naturae Divinae. Sed haec responsio perridicula prorsus est, et vana. Ergo a sua causa cadunt. *Prob. min.* Et quidem I. est perridicula, quia ad arbitrium efficta est a Scotistis definitio personae. II. Quia pro certo ponitur, quod est in quaestione, scilicet humanitati Christi defuisse *esse incommunicabile*, quia de facto communicata est cum Natura Divina. Est etiam vana; quoniam si tota, et perfecta humanitas asseritur in Christo eo sane modo, quo est in unoquoque nostrum, quid interest rei nomen, quoties re tota habetur substantia? Ergo etc.

℟. Heus! Quae ista tanta audacia Eterodoxorum! Non ad arbitrium, sed recte, et ex natura personae, ejusdem dedimus definitionem §. 5 et confirmavimus ex em-

plo Angelorum. Et quidem juxta Logicae regulas, recta erit definitio, cum in totà extentione rei convenit definitae, et praeter illam nulli alio. Nunc dicant adversarii, num sit aliqua persona, quae non sit ratione praedita, et incommunicabilis; aut aliquod subjectum reperiatur rationale, et incommunicabile, quod non sit persona?

Sed non minus falsum est, nos pro certo ponere illud, quod est in quaestione, ex quo humanam naturam de facto dicimus communicatam esse Naturae Divinae. Etenim adeo firmiter id a nobis demonstratum fuit omni genere argumentorum §§. 138. 139. 140, et seq.; ut firmius nihil possit demonstrari.

Ad ultimum dicimus, quod non vanum, quinimo tam necessarium est, ut humanitas in Christo non sit Persona, quantum necessarium est Mysterium Divinae Incarnationis pro salute humani generis. Etenim in Christo si duae essent Personae, profecto unaquaeque, juxta constitutivum personae, in se completa esset, et propriam haberet subsistentiam independenter ab altera: et consequenter unaquaeque sola domina esset suarum actionum, et merito digna juxta propriam naturam. Ad quid ergo, hac in hypothesi, Mysterium Incarnationis? Quippe sola Persona Divina non posset sibi satisfacere pro peccatis hominum: persona humana nec item, tum quia originis peccati rea esset; cum etiam quia ut finita, et a Persona Divina independens, ut quae propriam haberet subsistentiam, nullimode capax esse posset meriti infiniti, ut infinitam destrueret peccati malitiam. Ergo vanum esset Mysterium Incarnationis. Sed id est necessa-

rium, et Scripturae luculentissime factum declarant: *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*. Ergo pariter non vanum, sed omnino necessarium fuit, ut humanitas, licet omnibus numeris vera, Divino Verbo hypostatice uniretur, scilicet ut naturalem amitteret incummunicabilitatem, et esse personae et subsisteret terminata a Persona Divina.

PARS V.

DE CHRISTI PROPRIETATIBUS DIVINIS, HUMANIS, ET VELUTI COMMUNIBUS.

148. Plura in hac quinta parte nobis agenda sunt. Et quidem I. contra Eutychianos firmandum est dogma catholicum, quod scilicet per unionem hypostaticam in Christo non permixtae fuerunt Divina, et humana natura, sed utraque permansit integra. II. Contra Monothelitas demonstrare, et vindicare opus est, duplicem esse in Christo voluntatem, et operationem, Divinam scilicet, et humanam. III. Disputabimus de proprietatibus Christi, ut est homo; et quidem tam de illis, quae ad animam pertinent, quam quae pertinent ad corpus. Tandem sermo erit de proprietatibus veluti communibus, praesertim de communicatione idiomatum.

CAPUT I.

Divina, et humana natura per hypostaticam unionem in Christo permixtae non fuerunt, sed utraque permansit integra.

149. Jam ex hactenus demonstratis pro legitimo corollario sequitur, quod utraque natura in Christo Divina, et humana integrae permanserunt, etsi hypostatice fuerint unitae. Quippe demonstratum est, Christum esse verum Deum, et verum hominem. Sed quomodo ista, si naturae fuissent commixtae? Profecto ex hypothesi permixtionis vel quid tertium effectum fuisset, quod omnino repugnat respectu Naturae Divinae, et tunc nec Deus, nec homo esset Christus. Vel Natura Divina conversa fuisset in humanam, vel humana in Divinam. Et tunc, praetermissa omnium maxima repugnantia, Christus esset vel solum Deus, vel solum homo, contra quod hactenus demonstratum et vindicatum est. Ergo integrae permanserunt in Christo Natura Divina, et humana. Sed tamen, quis crederet? hanc veritatem inficiatus est impius Eutyches.

Historia haeresis Eutychianae.

150. Eutyches in scientiis bene versatus, et de fide orthodoxa multum benemeritus, postquam contra Nestorium singulari modo decertavit pro unitate Personae in Christo, nescio quo caeco zelo ductus, anno 448 sub

pontificatu S. Leonis, in oppositam haeresim lapsus est. Ita scilicet unicam Personam propugnavit, ut unicam quoque voluerit esse Naturam. Monitus ab amicis noluit resipiscere: quapropter ab Eusebio Phygiae Episcopo ut haereticus denunciatus fuit apud Flavianum Constantinopolis Patriarcham: et deinceps ab eodem accusatus fuit apud Synodum quadraginta Episcoporum, quae alia de causa Constantinopoli habita fuit. A synodo ista vocatus Eutyches, primo renuit obedire: sed tandem venit, ast veluti ad gerendum bellum, multis stipatus militibus praetorianis, eumque comitatus est etiam Crysaphius Eunuchus apud imperatorem multum potens, et quem Eutyches e baptismo susceperat.

151. Itaque a Patribus dictae Synodi interrogatus Eutyches de sua fide circa duas Naturas in Christo, post multas aequivocas responsiones, libere tandem confessus est, se credere, humanam naturam in Christo conversam esse in Divinam, et propterea unam esse in Christo Naturam Divinam: et adeo pervicaciter suum errorem propugnavit, ut nullimode adduci potuerit ad eum deponendum, et ejurandum. Quapropter privatus fuit sacerdotalibus functionibus, et Ecclesiae communione.

152. Non adquievit Eutyches, sed favore dicti Crysaphii obtinuit ab Imperatore, ut novum Concilium adunaretur in urbe Constantinopoli. Sed in hoc iterum damnatus, ejusdem amici patrocinio impetravit, ut Ephesi generale Concilium celebraretur anno 449. Sed timens, ne si Pontificis Leonis legati praesiderent, sua causa caderet, favore regio obtinuit, ut praesideret Dioscorus Patriarcha Alexandrinus sui amicus, et eadem

haeresi conspersus. Interfuerunt 360. Episcopi; sed jussu Imperatoris expulsus fuit Theodoretus, et ut reus admissus fuit Flavianus. Quanta vis, et injustitia adhibita fuerit in hoc Concilio, ex eo patet, quod appellatum fuit latrocinium Ephesinum.

153. Itaque, lectis litteris Imperatoris, qui favebat causae Eutychetis, et omissa Epistola S. Leonis Papae ex jussu Dioscori, et remoto etiam accusatore Eusebio Dorylaeo, nec non rescissis actibus Concilii Constantinopolitani, a quo Eutyches damnatus fuerat, Flavianus, et Eusebius veluti haeretici sua dignitate fuerunt expoliati: quinimo Flavianus, quia ad summum Pontificem appellabat, jussu Dioscori adeo crudeliter caesus fuit, ut triduo post martyr mortuus sit, et Eutyches fuit in pristinum statum restitutus. Interim Episcopi perterriti minis Dioscori, et militum, omnibus actibus se subscripserunt. Et Dioscorus eo temeritatis prorupit, ut congregatis postea quibusdam Episcopis, ausus sit agere contra ipsum S. Pontificem Leonem, eo quod hic factus certior ab Hilario Diacono de omnibus, quae impie, et crudeliter gesta fuerant, acta Concilii rescinderat, et ipsum Dioscorum damnaverat.

154. In tanta Ecclesiae calamitate, ex misericordia Dei Imperator agnovit se fuisse deceptum. Unde statim relegavit Crysaphium veluti omnium malorum causam et simul propriam uxorem Eutychetis patronam, et ab exilio revocavit suam sororem Pulcheriam multum de fide orthodoxa benemeritam, quae mortuo fratre, nupsit Imperatori Marciano. Illico pius hic Imperator generale indixit Concilium Nicaeae, consensiente sum-

mo Pontifice, in quo, una cum Legatis S. Leonis, convenerunt sexcenti Patres. Sed quoniam omnes amabant Imperatoris praesentiam, idcirco Concilium translatum fuit Chalcedonem.

155. Igitur anno 451. Chalcedone habita est generalis, et legitima Synodus. In ea Dioscorus exauctoratus, et excommunicatus fuit, et Imperatoris jussu in exilium missus. Eutyches anathemate fuit percussus, et item exilio damnatus. Sed venia facta est Episcopis, qui actibus Concilii Ephesini subscripserant, eo quod per Dioscori vim id fecerant. Et sic suffocata haeresi Eutychiana, pax reddita est Ecclesiae. Sit ergo modo nostra Catholica

PROPOSITIO XIII.

Natura Divina, et humana, facta hypostatica unione, integrae in Christo remanserunt.

156. *Prob.* Christus est verus Deus, ut demonstratum est prop. V. §. 45. Sed et est verus homo. Etenim in ipso fuit vera anima rationalis, uti ex prop. IX. §. 110; et etiam verum humanum corpus, non vero phàntasticum, aut aereum prop. X. §. 114. Ergo est etiam verus homo. Et consequenter Natura Divina etc.

157. Omittimus auctoritatem Sacrarum Scripturarum, ne repetantur ea, quibus abunde demonstravimus, Christum esse verum Deum, et verum hominem. *Prob.* itaque Divina, et Apostolica Traditione, quae est altera

fidei regula, et ex Conciliis generalibus, in quibus vera Traditio confirmatur, et sunt infallibilia in iis, quae ad fidem, et mores pertinent, quoniam universam repraesentant Ecclesiam. En ergo Traditio priorum saeculorum ante Concilium Chalcedonense. Sanctus Ignatius in primo Saeculo ita scribit ad Ephesios: *Unus medicus est carnalis, et Spiritualis, factus, et non factus: in homine Deus: in morte vita aeterna: ex Maria, et ex Deo: primum passibilis, et nunc impassibilis Dominus noster Jesus Christus.* Et idem ad Trullianos dicit: *Vere genitus est ex Deo, et Virgine, non tamen eodem modo; nec enim idem sunt Deus, et homo, vere corpus assumpsit.* Ergo ex S. Ignatio in Christo est medicus factus, et non factus, factus ex Maria, non factus vero a Deo. Ergo in illo integra est Natura Divina, et humana, nec ista, ut blasphemat Eutyches, conversa est in Divinitatem.

158. In secundo saeculo Justinus Martyr in Apologia II. dicit: *Jesum Christum Verbum formatum et hominem factum.* Et Irenaeus lib. III, cap. XVIII. *Fraudantes hominem ab ea ascensione, quae est ad Dominum, et ingrati existentes Verbo Dei, quod incarnatum est propter ipsos. Propter hoc enim Verbum Dei homo, et qui Filius Dei est, filius hominis factus est.* Notandum, quod Irenaeus hic loquitur contra eos, qui Christum dicebant purum hominem. Ergo si non dicit solum Deum, fatetur esse verum Deum, et verum hominem, postquam duarum naturarum facta est unio hypostatica.

159. In tertio saeculo Origenes sic loquitur de Chri-

sto homil. VI. *Ipse corpore dormiebat, Deitate vero concitabat, et conturbabat mare, et iterum complacabat.* Ergo dicebat, Christum verum Deum, et verum hominem. Et quidem in homil. prima in Ezechielem expresse dicit, Christum perfectum Deum, et perfectum hominem esse, et permansisse. Idipsum docet Clemens Alexandrinus primo Paedagogo cap. III, dicens: *Caelestem illum Paedagogum* (Christum) *prodesse mortalibus tanquam hominem, et tanquam Deum: quippe peccata indulget, qua Deus est: ut autem est homo, Paedagogi more ad non peccandum instituentem.*

160. In saeculo quarto ita de Christo loquitur Hilarius lib. IX. de fide: *Dum ipse ex unitis in idipsum naturis, naturae utriusque res eadem est* (en unitas personae), *ita tamen, ut neutro careret in utroque; ne forte Deus esse, homo nascendo, desineret, et homo rursus, Deus manendo, non esset.* En integritas utriusque naturae post hypostaticam unionem. Et ut alios omittamus, sic Chrysostomus loquitur in Psal. XLIV. *Neque enim carnem ab Divinitate separat, neque Divinitatem a Carne, non quod substantias confundat* (*absit*) *sed ut unitionem ostendat.* Quid clarius pro unitate personae, et integritate naturarum?

161. In quinto saeculo multi fuerunt SS. Patres, qui idipsum docuerunt. Sed afferimus tantum Ambrosium, et Augustinum. Ille lib. II. de fide cap. IV. ad Gratianum Imperatorem dicit: *Idem Deus, idem homo; per Divinitatem Deus, per susceptionem car-*

nis homo, *Jesus Christus*, *Dominus Majestatis dicitur Crucifixus*. Et Augustinus tractatu LXXVIII. in Joannem sic improbat haereticos. *Quid igitur haeretice? Cum Christus Deus sit*, *et homo*, *loquitur ut homo*; *et calumniaris Deo? Ille in se naturam commendat humanam*, *tu in illo audes deformare Divinam*.

162. Omittimus Patres sequentium saeculorum, quoniam habemus generale Concilium Chalcedonense, in quo firmata fuit Divina Traditio, et infallibiliter declaratum, et sancitum fuit dogma fidei contra Eutychetem. Et quidem postquam in hoc Concilio approbata fuerunt acta Concilii Constantinopolitani contra Eutychetem, et damnatus fuit Dioscorus Eutychetis fautor, Patres sic scribunt in Epistola ad Imperatorem actione IV. *Diogenes Reverendiss. Cysici Episcopus dixit*: *Synodus propter Eutychem facta est*, *non propter aliud aliquid. Romanus Episcopus propter ipsum scripsit. Omnes consensimus Epistolae... Suggerimus anathematizare eum Eutychetem*, *qui dixit ante Incarnationem duas naturas Salvatoris nostri*, *et post Incarnationem unam.... Si quis praeter ista*, *quae a nobis in petitionibus porrecta sunt*, *sapit*, *et sive Eutyches*, *sive alter aliquis*, *anathema sit*. Et tandem actione V. sic definitionem fidei pronuntiant. *His namque*, *qui in duos filios dispensationis divinae Mysterium discerpere nituntur*, *repugnat*, *et illos*, *qui passibilem Deitatem Unigeniti ausi sunt dicere*, *a Sacro coetu expellit*, *et his*, *qui in duabus Christi naturis temperamentum*,

aut confusionem opinantur, resistit: et eos, qui coelestem, aut alterius alicujus esse substantiae, quam ex nobis assumpsit servi formam, delirantes dicant, abigit: et qui duas quidem ante unitionem naturas Domini fabulantur, unam vero post unitionem configunt, condemnant. Et ibidem tandem. *Sequentes igitur Sanctos Patres, unum, eumdemque confiteri Filium, et Dominum nostrum Jesum Christum consonanter omnes docemus . . . . in duabus naturis inconfuse, inseparabiliter agnoscendum: nusquam sublata differentia naturarum propter unitionem, magisque salva proprietate utriusque naturae, et unam personam atque subsistentiam concurrentem, non in duas personas partium, aut divisum, sed unum, eumdemque Filium, et unigenitum Deum Verbum Dominum Jesum Christum; sicut ante Prophetae de eo, et ipse nos Jesus Christus erudivit, et Patrum nobis Symbolum tradidit.* Ergo etc.

163. *Prob.* theologica ratione. Permixtio, et confusio Divinae, et humanae naturae absolute repugnat. Ergo integrae in Christo permanserunt. *Prob. ant.* Si fieri posset permixtio, et confusio Divinae, et humanae naturae, id uno ex tribus modis fieri posset: scilicet, vel Natura Divina verteretur in humanam, vel humana in Divinam, ut dicit Eutyches, vel quid tertium excitaretur. Sed tria haec absolute pugnant. Et quidem primo. Si Natura Divina verteretur in humanam, tunc non amplius existeret Deus. Etenim Natura, seu Essentia, aut Substantia Divina, una unica est,

et eadem in tribus Personis. Ergo, conversa illa in naturam humanam, non amplius existeret Deus. Nihil dico, quod essentialiter mutaretur, id quod repugnat cum esse perfectissimo, cujusmodi est Deus. Sed pariter intrinsece repugnat, ut natura humana vertatur, et confundatur cum Divina. Etenim, dummodo non omnino destruitur, in quo casu non verteretur, sed non amplius existeret, ipsa illico Divina effecta, Deus esset. Ergo essent duo Dii. Ergo ens finitum, uti est natura humana, factum est infinitum. Ergo, quod non est aeternum, quod in tempore est creatum, uti est humana natura, factum est Deus: et propterea habemus Deum non aeternum, sed in tempore creatum. Quorsum ista horrisona? Nec dicas, naturam humanam conversam fuisse in eamdem unicam Naturam Divinam. Etenim, quaero, praeter Naturam, seu Substantiam Divinam, facta conversione naturae humanae in eamdem illam unicam, additur ne aliquid aliud Divinum illi unicae Divinae Substantiae, quae infinita, et perfectissima ab aeterno existebat, an vero nihil? Si illud. Ergo non amplius simplicissimus est Deus, sed compositus: Ergo in tempore aliquid aliud Divinum Deo additum est: et ulteriores realitates, et perfectiones additae sunt Enti infinito, et Perfectissimo. Si aliud: Ergo non conversa, sed in nihilum prorsus rediit humana natura; ni eousque impietatis perveniat Eutyches, ut dicat, alteram Divinam Naturam exortam ex conversione naturae humanae existere per se, separatim a priori aeterna Divina Natura. Ergo . . . Sed ecquis enumerare poterit absurda, quae inde sequerentur? Et non minoribus con-

tradictionibus laborat tertia hypothesis, quod si scilicet ex somniata commixtione, aliquid tertium excitaretur. Etenim primo, Christus nec Deus esset, nec homo. Ergo falsum Evangelium, falsae omnes Scipturae novi testamenti. Ergo non amplius existit Deus, quoniam quae unica existebat Natura, seu Substantia Divina, in aliud conversa est. Ergo . . . Sed pudet ulteriora absurda enumerare.

164. Secundo, sic contra Eutychen argumentamur. Utique haereticus iste fatetur Mysterium Incarnationis: utique admittit Evangelium, et caeteros canonicos libros, qui dicunt, Christum in lucem fuisse editum, puerum fuisse, et eodem modo, quo caeteri homines, crevisse, et tandem cruciatibus affectum cruci affixum fuisse, mortuum, et sepultum, et denique a mortuis resurrexisse. Dicat nunc Eutyches, quando humanitas in Christo conversa fuit in divinitatem? Nonnisi certe in conceptione. Ergo non erat in Christo humanitas, cum natus est; nec unquam fuit deinceps. Quomodo ergo sola, et simplex Divinitas nata est, perennibus mutationibus fuit obnoxia, quomodo passa, quomodo mortua fuit, quomodo resurrexit? Ni Eutyches haec omnia falsa, et apparentia dicat, fateatur oportet, quod Natura Divina, et humana etc.

Solvuntur Objectiones Eutychianorum.

165. *Ob.* Christus in Scripturis dicitur verus Deus, et Ecclesia Catholica credit unum, et non divisum. Ergo unica Natura Divina est in Christo, et propterea in illam conversa est natura humana.

R). Christus sicuti in Scripturis vocatur verus Deus, ita vocatur quoque verus homo. Et quamvis potiori ratione dici debeat Deus, quam homo, quia unica in ipso est Persona, et haec Divina; tamen ut nemo possit dubitare de vera illius humanitate, ipse Christus per antonomasiam se dicit Filium hominis. Quod autem Ecclesia Catholica Christum dicit unum, et indivisum, hoc factum est, quia unica in illo est persona, non vero quia unica est natura. Dogma Catholicorum est, Divinum Verbum assumpsisse humanam naturam in unitate sui Personae Divinae. Unde cum una sit in Christo Persona; idcirco dicimus, Christum esse unum et indivisum, licet duae sint in illo naturae: eo ferme modo, quo unum et indivisum dicimus quodlibet humanum individuum, etsi duae, et impermixtae in illo sint substantiae, spiritualis scilicet, et corporea.

166. *C.* Atqui ex quo Christus est verus Deus, unus, et indivisus, in ipso natura humana non servata, sed conversa est in Divinam. Ergo etc. *Prob.* Christus ex quo est verus Deus, unus et indivisus, ipse a Catholicis asseritur verus, et naturalis Dei Filius, et nec etiam ut homo dicitur Filius adoptivus. Ergo ex quo etc.

R. Ideo Catholici credunt, et confitentur, Christum esse verum, et naturalem Dei Filium, quia ipsius Persona est vera Persona Divini Verbi consubstantialis Filii Dei. Et quia in unitate suae Personae Divinum Verbum humanitatem assumpsit, ita ut non sit in Christo persona humana, sed sola Divina, licet sit in eodem vera natura humana, idcirco nec etiam quoad humanitatem dicitur Filius Dei adoptivus, quia ad rationem filii re-

quiritur esse personae. Igitur cum non duae, sed una persona sit, et haec Divina, idcirco non duplex, sed unus Dei Filius est, et quidem non adoptivus, sed verus, et naturalis.

167. *C.* Atqui ex quo in Christo una est Persona, et ipsa Divina, et inde Christus unus Filius Dei est, et ipse naturalis, non vero adoptivus, necessario sequitur, in ipso naturam humanam conversam fuisse in Divinam. Ergo etc. *Prob.* Si in Christo una est Persona, et haec Divina, id non aliter fieri potuit, nisi quia in Incarnatione persona humana ita cum Divina cumulata et permixta est, ut ex duabus facta sit una. Sed persona sequitur naturam, quia est terminatio naturae rationalis. Ergo pariter ex duabus naturis, Divina scilicet, et humana, facta est una, et haec est Divina: Quod idem est, hac dicere, naturam humanam conversam esse in Divinam. Et propterea ex quo una in Christo etc.

℟. Negando majorem. Falsum prorsus, quod in Incarnatione Divini Verbi ex duabus personis facta sit una, quasi persona humana jam existens ita permixta fuerit cum Divina, ut una inde fieret. Nunquid personalitas est substantia, ut cum altera commisceri possit, et unum inde fiat substantiale compositum? Si, ut adversarii ipsi dicunt, personalitas est terminatio, sive complementum existentiae naturae rationalis, quomodo cum altera commisceri poterit? Nunquid terminatio unius naturae uniri poterit cum terminatione alterius? Nec dicas, quod uniri inter se possunt naturae, et tunc uniuntur quoque terminationes illarum. Quippe eviden-

tissime id pugnat in terminis. Etenim si personalitas est terminatio, sive complementum existentiae naturae rationalis, quomodo si naturae ponantur complete existentes simul uniri possunt, et recipere novam terminationem existentiae? Nonne unio isthaec terminatio pro certo ponit, quod saltem una terminata non erat? Verum igitur quod diximus (§. 8. coroll. III.), quod si duae naturae rationales, quae ceteroqui communi lege essent completae, et idcirco personae, ex hypotesi uniantur, tunc non duae, sed una erit persona, quoniam illae de facto communicarentur inter se, et constitutivum personae aeque ac in esse rationale, consistit in esse incommunicabile. Et verum etiam quod dictum est (§. II. coroll. VI.), quod si ex hypothesi una ex partibus componentibus sit absolute in se completa, et in se tota essentialiter existens, ita ut nullatenus fieri possit, ut non sit persona, uti in re nostra est Persona Divini Verbi, tunc hac in hypotesi ista unica persona erit in novo composito; nec potest esse persona altera pars, quae est natura humana. Ergo ex unitate personae in Christo non sequitur, unam quoque esse naturam, et hanc Divinam, quasi in illam conversa sit natura humana.

168. Sed quoniam nonnulli ex Eutychianis dicunt, permixtionem naturarum non factam esse ex conversione naturae humanae in Divinam, sed potius Divinae in humanam, videamus oportet quas rationes afferunt. Itaque dicunt. Joann. cap. I. v. 14. legitur: *Verbum caro factum est.* Ergo Persona Divini Verbi conversa est in humanam.

R). Admissa auctoritate dist. sensum. Verbum caro factum est, scilicet vere assumpsit in unitate sui Divinae Personae humanitatem, et sic vere apparuit homo, et habitavit inter homines *concedo*: mutatum est in hominem, quasi cessaverit esse Deus, et coeperit esse homo, *nego*. Stupida prorsus est litteralis interpretatio Eutychianorum super allatum Joannis testimonium. Si Deus infinitus est, et perfectissimus, et proinde omnino immutabilis, quomodo mutari poterit in hominem? Sed si per Haereticos Verbum mutatum est in hominem: ergo non amplius est Divinum Verbum. Quae insania ista? Ergo Joannis verba intelligenda sunt de vera assumptione humanitatis facta a Divino Verbo in unitate sui Divinae Personae, manente procul dubio id, quod erat, sicuti docet, et propugnat Catholica Ecclesia. *Mirabile Mysterium declaratur hodie: innovantur naturae, Deus homo factus est: id, quod fuit, permansit, et quod non erat, assumpsit, non commixtionem passus, neque divisionem.*

169. *C.* Atqui Joannis testimonium litteraliter intelligendum est de vera conversione Divini Verbi in hominem. Ergo etc. *Prob.* Apostolus ad Philipp. cap. II. v. *7.* scribit de Divino Verbo: *Exinanivit semetipsum.* Ex quibus sic argumentari licet: Ex Apostolo Verbi Divinitas adeo in Incarnatione minor, et deterior facta est, ut quasi nihil evaserit. Ergo ex infinita facta est finita. Et propterea conversa est in humanitatem.

R). Admisso testimonio Joannis, sed distinguendo sensum. Filius Dei exinanivit semetipsum exterius, et ante oculos hominum, *concedo*; in se, et revera, *nego*.

Itaque Joannis testimonii sensus est. Dei Filius Patri consubstantialis, qui omnipotens est, et infinitae Majestatis, ut hominem redimeret, in unitate suae Personae assumpsit humanam naturam, et sic formam servi accepit, quin et in humanitate ipsa omnibus humanis affectionibus, doloribus, ignominiis, et morti factus est subjectus. Et quidem Apostolus ipse subdit. *Formam servi accipiens, et habitu inventus ut homo.* Ergo habitu, et exteriori forma apparuit exinanitus, sed in se, et revera non mutatus est, nec cessavit esse quod erat.

170. *C.* Atqui revera, et in se Dei Filius, cum Incarnatus est, exinanivit semetipsum, et cessavit esse quod antea erat. Ergo etc. *Prob.* Apostolus post allata verba subdit. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Si humiliavit semetipsum, semetipsum revera reddidit humilem: quod si factus est obediens usque ad mortem, ipse in se, et non forma exteriore, obediens factus est, et morti subjectus. Sed haec Divinitati nullatenus convenire possunt. Ergo in Incarnatione Divina Natura conversa est in humanam.

℟. Usque eo caecutiunt adversarii Haeretici, ut non videant, quod eadem illorum ratio mirifice firmat nostram Catholicam veritatem. Si obedientia, humilitas, pati, et mori, ex illorum confessione, nullatenus convenire possunt Divinae Naturae, quomodo eidem convenire poterit mutari reipsa in naturam humanam, et sic ex infinita, et perfectissima evadere finitam, et imperfectam; quod idem est, ac Ens absolute Necessarium

evadere contingens, et sic revera pati, et mori, et non amplius existere Deum? Sed si reipsa, et substantialiter Deus factus est homo, et cruci affixus reipsa mortuus est, quomodo ex eodem Apostolo (ibid. v. 9. et seq.) *Propter quod exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen?* Si Deus mutatus in hominem jam mortuus est, quis iste alter Deus, qui illum suscitat, et exaltat? Numquid plures . . . Sed pudet quam maxime longe ista refellere. Ergo Apostolus loquitur de assumpta forma exteriore, scilicet de humanitate, in qua passus, et mortuus est Filius Dei.

CAPUT II.

De duplici voluntate, et operatione in Christo.

171. Ex dictis in superiori capite clarissime patet, duplicem esse in Christo voluntatem, et consequenter operationem, Divinam scilicet, et humanam: et id ex quo impermixtae, et integrae in illo sunt Natura Divina, et humana. Attamen, quis crediderit? vix extincta haeresi Eutychiana, exorta est haeresis Monothelitarum, de unica scilicet voluntate, et operatione in Christo, qui error, si recte perpendatur, verbis tantum ab haeresi differt Eutychianorum, sed re quidem una est. Et tam virulenter serpsit error iste in Oriente, ut Ecclesiae pacem turbaverit spatio sexaginta annorum. Ab anno scilicet Christi 622, et tertio decimo Heraclii Imperatoris Orientis, usque ad annum 681 sub Imperatore Constantino Pogonato, quo tempore absoluta fuit deci-

ma octava actio sextae Synodi Oecumenicae, quae fuit tertia Constantinopolitana, in qua iterum, atque iterum damnatus, et anathematizatus est Monotholismus, cum suis fautoribus.

172. Brevitatis causa omittimus historiam hujus haeresis, et solum dicimus, qui fuerint auctores, quique sectatores. Verus quidem auctor dici potest Eutyches: nam ex unitate naturae, quam defendebat in Christo, ejus amici, post ejusdem damnationem, sub novo aspectu promoverunt eumdem errorem, propugnantes unitatem voluntatis, et operationis. Item, auctores dici possunt omnes, qui erraverunt aut circa Divinitatem, aut circa humanitatem Christi, praesertim Ariani, et Nestoriani. Sectatores, et qui aperte, et directe hanc professi sunt haeresim, fuerunt Theodorus Episcopus Pharanitanus, Cyrus Patriarcha Alexandrinus, Sergius, Pyrrus, Paulus, Petrus Patriarcha Constantinopolitanus, Macharius Patriarcha Antiochenus, quorum scripta confutata, et damnata fuerunt in VI. Synodo generali. Contra omnes itaque sit

PROPOSITIO XIV.

Duplex in Christo est voluntas, et operatio.

173. *Prob.* Ubi sunt duae naturae integrae, et impermixtae rationales, ibi duae esse debent voluntates, et operationes. Sed ex prop. XIII. demonstrata §§. 156, et seq. Natura Divina, et humana, facta hypostatica unione, integrae in Christo permanserunt. Ergo duplex in illo est voluntas, Divina scilicet, et humana.

174. II. Et quidem in Concilio Ephesino de fide definitum est, Christum esse Deum, et hominem. Ergo in ipso, ut Deus est, sunt operationes, et voluntas Divina; et etiam voluntas, et operationes humanae, ut est homo. Et hoc ipsum de fide etiam definitum fuit non solum in Concilio Lateranensi sub S. Martino Papa, sed etiam in VI. Synodo Oecumenica.

175. Tandem. Christus est Divinum Verbum caro factum, scilicet verus Deus. Sed repugnat, Deum privari voluntate, et operationibus. Ergo in Christo est voluntas, et operationes Divinae. Sed Divinum Verbum assumpsit veram animam rationalem, et verum humanum corpus, ut demonstratum est (§§. 110. prop. IX. et 114. prop. X.). Ergo in Christo fuit quoque voluntas humana, et humanae operationes, quia constitutivum animae rationalis est voluntas, et operatio. Concludendum igitur etc.

Solvuntur Objectiones.

176. *Ob.* Christus unus est, et indivisus, unus Filius Dei, et una in ipso est Persona. Ergo una pariter voluntas, et una operatio.

℞. Non eo sensu Christus unus est, et indivisus, et unus Filius Dei, quasi una in illo sit natura; sed quia una est persona, et haec Divina. Si ergo una est persona, unus quoque est Christus. Sed Persona est Divina, scilicet Filii Dei consubstantialis Deo Patri. Ergo Christus est verus Filius Dei, non vero adoptivus. Cum autem in hac hypostatica unione integra nihilominus

sunt veri effectus illius. Sed repugnat, ut effectus finiti, et imbecilles sint effectus proprii Personae Divinae. Ergo absolute repugnat etc.

℟. Verum quidem, quod effectus voluntatis, quae unita est personae, personae ipsi tribuitur. Et quidem, quaevis actio sive naturalis, sive spontanea humani corporis, humanae personae tribuitur. Et quoad Christum, nos quoque non solum concedimus, sed et pro viribus quoque tuebimur, cum sermo erit de communione idiomatum, omnes humanae naturae actiones Personae Divinae tribui, uti sunt taedium, passio, et etiam mors; unde dicimus, Deum vere passum, et mortuum esse. Sed quid inde? Num dicimus, quod Deus, ut purus Deus, passus, et mortuus est? Absit tam blasphemum absurdum! Sed dicimus, quod passus, et mortuus est in humanitate hypostatice assumpta. Et inde apparet stupendissimum miraculum Sapientiae, et Omnipotentiae Dei, ut invenire, et executioni mandare potuerit, remedium, quo plene satisfieri potuerit Divinae Justitiae pro infinita injuria, et malitia peccati. Solus Deus, salva justitia, id efficere non poterat. Solus homo nullimode esse poterat sufficiens. Ergo assumpsit humanitatem in unitate Personae Divinae, et sic actiones humanae ex unione ista hypostatica meritum reciperent infinitum ex Persona Divina, et sic Divinae Justitiae abunde satisfactum, salus humani generis haberetur. Aut ergo Haeretici Monothelitae negabunt mysterium Divinae Incarnationis, et tunc aliis armis pugnandum erit: aut si fatentur, necesse tunc est, ut admittant in Christo duplicem voluntatem, et Divinas simul, et humanas ope-

rationes : secus enim, ut dictum est, vanum prorsus, et inutile fuisset Mysterium Incarnationis.

179. *C.* Atqui absolute repugnat, in una Persona Christi duplicem esse voluntatem. Ergo etc. *Prob.* Si duae essent in Christo voluntates, duo simul haberentur diversi, et forsan etiam oppositi actus voluntatis. Sed id absolute repugnat. Ergo etc.

℟. Non video in quo Adversarii veram repugnantiam constituunt, ut duo diversi actus sint in Christo, scilicet in Natura Divina, cujus est Persona, et in natura humana, quae unita est cum Persona Divina. Non repugnat, aliquam substantiam, quamvis sit rationalis, non esse tamen in se complete existentem, sive non esse personam, id enim a Divina pendet voluntate, et exemplum habemus in anima humana. Ergo quaevis rationalis substantia potest uniri cum alia, et similiter rationali, et tunc necessario una erit persona, et duae voluntates: et consequenter diversae illarum actiones, ut quae a diversis principiis proficiscerentur: et quae eidem personae tribuerentur. Eccur non? Ipsae enim non tribuerentur sub eodem respectu, sed diverso. Et quidem nonne in eodem homine, et quidem eodem in tempore, sunt volitiones animae, et etiam non solum spontanei, sed etiam naturales motus corporis? Sed in Christo natura humana unita est Personae Divinae : ergo simul operatur Natura Divina, et natura humana. Et quoniam prorsus diversa sunt principia, diversae quoque esse debent operationes. Quoad vero realem oppositionem liberi esse possunt Monothelitae ab hujusmodi timore, quoniam efficacissimae gratiae vi, nullimode in Christo

voluntas humana velle poterit aliquid contra voluntatem Divinam, quod ut absurdum infra demonstrabimus.

CAPUT III.

De proprietatibus Christi tam Divinis, quam humanis.

180. Divinae Christi operationes sunt eaedem omnino, quae in tertio libro Deo convenire demonstravimus: quapropter libenter omittimus. Nihilominus dicimus, quod ex illis duas praesertim Christus demonstravit, scientiam scilicet, et potentiam, demonstravit Divinam Scientiam tot praedictionibus futurorum, quae humana, et creata sapientia nullatenus cognosci poterant, uti sunt prae caeteris illa, quae ad suam futuram passionem pertinebant, et ad futuram sortem pervicacium Judaeorum. Et suam ostendit Divinam Potentiam tot stupendissimis miraculis propria virtute patratis. Quippe miracula cum sint operationes supra, vel contra naturae leges, nonnisi a sola virtute Dei fieri possunt, qui solus naturales physicas leges aut suspendere, aut contra illas potest operari. Ergo sermonem faciemus de solis Christi proprietatibus, quatenus homo est.

181. Et quoniam humanae Christi proprietates aliae ad animam, et aliae ad corpus pertinent, nos exordimur ab illis. Et quidem breviter dicemus de scientia, de libertate, et de gratia, et num peccare potuerit.

182. In Christo, praeter Scientiam Increatam, quae est propria suae Personae Divinae, aliam quoque esse

scientiam creatam, et quidem propriam illius animae humanae, communis est Theologorum sententia. Et quidem id necessario sequitur, ex quo duplex in illo est voluntas, ut contra Monothelitas demonstravimus, et voluntas humana pro certo ponit intellectum, et consequenter scientiam creatam, seu finitam. Et tamen, ut testatur Seraphicus Doctor S. Bonaventura, non defuerunt suo tempore inter Orthodoxos, qui opinati sunt, Christum sola increata scientia usum fuisse. Et in hanc sententiam videtur inclinare Hugo Victorinus in tractatu de scientia animae Christi. Contra quos itaque sit

PROPOSITIO XV.

Anima humana in Christo nullatenus habere potuit scientiam increatam, et infinitam.

183. *Prob.* Quamvis Omnipotens sit Deus, absolute tamen repugnat, ut creare possit ens aliquod infinitum et consequenter perfectissimum: ex quo fit, ut licet perfectiora semper creare possit, quoniam omni finito semper cogitari potest majus, nullimode tamen ens aliquod adeo perfectum efficere potest, ut perfectius aliud non possit creare; ita ut absolute repugnet, ut aliquod vere infinitum producat, qua sola hypothesi aliud perfectius non posset efficere. Sed anima humana in Christo a Deo creata est. Ergo infinita nullimode nec esse, nec concipi potest. Sed quod finitum est, nullam habere potest infinitam perfectionem. Ergo repugnat, animam humanam in Christo habere scientiam increatam, et Divinam.

184. Et quidem VI. Synodus generalis expresse vetuit, aliquid tribui Sanctae Christi humanitati, quod sit infinitum. Etenim sic Patres loquuntur sess. XVII. in confessione fidei de duabus Christi naturis. *Nec enim in quoquam unam dabimus naturarum operationem Dei, et creaturae, ut neque quod creatum est, in Divinam inducamus essentiam: neque quod eximium Divinae Naturae ad competentem creaturis locum dejiciamus.*

185. Ex hac demonstrata propositione pro legitimo corollario sequitur, quod quantumvis perfectior, et nobilior fuerit scientia animae humanae in Christo, ea tamen non potuit vere adaequate comprehendere Divini Verbi Naturam, cui hypostatice unita fuit. Id enim solius Divinae Naturae proprium est.

PROPOSITIO XVI.

Anima humana in Christo omni scientiarum genere peculiari prorsus modo ornata fuit.

186. *Prob.* ex scripturis. Joannes cap. I. ✝. 14 loquens de Christo, ait: *Et vidimus gloriam ejus... Plenum gratiae et veritatis.* Si Christus est plenus veritatis: ergo anima humana in ipso ornata fuit omni genere scientiarum. Quippe allata verba nullatenus intelligi debent de Persona Divina: primo, quia Divinitas non poterat videri, et Joannes dicit se vidisse *vidimus:* secundo, quia jam dixerat, Verbum esse Deum, et propterea perfectissimum. Et Apostolus ad Coloss.

cap. II. ✝. 3. ait de Jesu: *In quo sunt omnes thesauri sapientiae, et scientiae absconditi.* Et haec quoque ob eamdem rationem intelligi debent de Christi humanitate, non vero de Divinitate.

187. Et haec est communis doctrina Ss. Patrum, pro quibus omnibus sit Angelicus Doctor, qui quaest. II art. 1. ait: *Conveniens fuit ut anima Christi omnino esset perfecta per hoc, quod omnis ejus potentialitas sit reducta ad actum. Est autem considerandum, quod in anima humana, sic in qualibet creatura consideratur duplex potentia passiva. Una quidem per comparationem ad agens naturale, alia vero per comparationem ad agens primum, quod potest quamlibet creaturam reducere in actum aliquem altiorem actu, in quem reducitur per agens naturale: et haec consuevit vocari potentia abedientiae in creatura. Utraque autem potentia animae Christi fuit reducta in actum, secundum hanc scientiam divinitus inditam. Et inde secundum eam Anima Christi primo quidem cognovit quaecumque ab homine cognosci possunt per virtutem luminis intellectus agentis: sicut sunt quaecumque pertinent ad scientias humanas. Secundo vero per hanc scientiam cognovit Christus omnia illa, quae per revelationem Divinam hominibus innotescant: sive pertinent ad donum sapientiae, sive ad donum prophetiae, sive ad quodcumque donum Spiritus Sancti.* Ergo anima Christi habuit omnem scientiam et actualem, et infusam.

188. *Prob.* tertio ratione theologica. Christus adhuc puer, qui nulli studuerat scientiae, adeo tamen sapien-

ter in templo interrogabat, et respondebat Doctoribus, ut Pharisaei, et Scribae admirarentur super doctrinam illius. Ergo infusum ipsi erat omne genus scientiarum.

189. Et id confirmatur ex dignitate, et munere ejus. Et quoad illam, procul dubio nequit major excogitari dignitas, quam esse in unitate Personae unitum Divino Verbo. Ergo si dignitas ista maxime excellit super dignitatem Angelorum, et cujuscumque perfectioris creaturae, quae mente fingi potest; et adeo viciniorem ipsi Increatae Sapientiae reddit animam Christi, ut hypostatice cum illa sit unita, quomodo non omni scientia super omnes creaturas, praeditam dicemus eamdem Christi animam? Sed et quodnam aliud majus, et honoratius munus esse poterit illo, cui ab aeterno praedestinata fuit Christi humanitas, ut scilicet hypostatice unita Divino Verbo Deo conciliaret perditum humanum genus? Ergo si scientia proportionata esse debet muneri, quo fungi quis debet, nulli dubium, quin Deus omni scientiarum genere, et modo prorsus peculiari, animam Christi ornaverit.

PROPOSITIO XVI.

Anima Christi super omnes creaturas omnium gratiarum dono cumulata fuit.

190. Gratia communiter dividitur in gratiam gratum facientem, et gratis datam. Sed utraque super omnes creaturas cumulata fuit anima humana in Christo. Ergo

etc. *Prob.* quoad utramque partem. Et quidem quoad primam, non solum nulli ex nobilioribus creaturis datum est ut filius Dei diceretur: *cui umquam Angelorum dixit: Filius meus es tu?* Sed nec mente concipere possumus, quomodo creatura revera dici debeat verus Dei Filius; et tamen talis est Christus etiam quoad assumptam humanitatem, ut demonstravimus (§ 39. prop. IV.) Quod si Filius Dei est, quia unica in ipso est Persona Verbi, quomodo ei deesse potest ullum gratiarum donum, et quidem modo omnium praestantissimo? In unitate personae anima humana in Christo unita fuit cum Divino Verbo. Sed hac dignitate nulla esse potest major, quae cariorem reddat Deo creaturam. Ergo omni gratiarum dono adeo cumulata esse debuit, ut omnibus simul creaturis sola fuerit carior. Et ita quidem testatus est Joannes: *Vidimus gloriam ejus . . . plenum gratiae.* Sed adde, quod gratia gratum faciens proprie respicit sanctitatem, quae gratos nos reddit Deo. Sed anima Christi hypostatice unita fuit cum ipsa sanctitate per essentiam, scilicet Divino Verbo. Ergo etc.

191. Quod autem gratias gratis datas spectat, istarum affluentiam sine dubitatione commensurari licet ex munere, cui Christi humanitas a Deo destinata fuit. Quippe respectu Dei absolute verum est, quod dum vult finem, et media quoque adhibet ad finem ipsum proportionata. Sed quodnam fuit Christi munus? Redemptio humani generis, cui quia sola infinita virtus sufficiens esse potest, idcirco in Christo humanitas hypostatice unita est cum Natura Divina. Ergo quantum anima Christi, ut creatura, capax esse potuit, tantum

gratiis omnibus, et virtutibus donata fuit, quae ad infinitum commissum munus donari potuerint. Et ut caeteras omittam rationes; Christus quia Redemptor, et proprio Sanguine suam fundavit Ecclesiam, ipse est illius caput, et nos membra illius, et cui similes satagere debemus fieri, ut praedestinatorum sortem assequamur, juxta illud Apostoli ad Romanos: cap. VIII. v. 29: *Quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Sed in capite, in exemplari esse debent, et quidem omni meliori modo, omnes gratiae, dona, et virtutes, quas alii imitari debent. Ergo etc. Tandem, si Christus adeo supereminet cunctis creaturis, ut in nomine ejus omnia genuflectantur terrestrium non solum, sed etiam coelestium; dicendum, quod super cunctas quoque et terrestres, et coelestes creaturas incomparabili modo omnibus gratiis cumulatus fuit. Et quidem ex Apostolo ad Coloss. cap. II. v. 9. Christus habet plenitudinem potestatis corporaliter, et est caput non solum hominum, sed etiam omnis Principatus, et Potestatis: *In ipso inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter . . . qui est caput omnis principatus, et potestatis.*

PROPOSITIO XVIII.

Anima humana in Christo libera fuit in suis actionibus.

192. *Prob.* ex scripturis, et quidem primo veteris Testamenti. Itaque Isaias sic de Messia loquitur cap. VII.

v. 15. ***Butyrum**, et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum.* Sed reprobare, et eligere importat libere agere sub usu rectae rationis. Ergo etc. Et id clarius idem Propheta dicit cap. LIII. v. 7. *Oblatus est, quia ipse voluit.* Ergo libere Christus morti se obtulit. Ex novo autem Testamento innumera habemus testimonia, quae apertissime dicunt, Christum, ut homo est, libere suas edidisse operationes. Sed unum seligam Joannis cap. X. v. 17., ubi sic loquitur Christus: *Propterea me diligit Pater: quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me: sed ego ponam eam a meipso.* Hic procul dubio loquitur Christus ut homo, quoniam ut Deus non poterat ponere suam Divinam Naturam. Sed a semetipso ponit animam. Ergo libere ponit.

193. Hanc esse sententiam Sacrae Scripturae testimoniorum et quae adduximus, et quae omittimus, liquet ex Traditione, quam agnoscimus ex communi sententia Sanctorum Patrum. Et quidem S. Cyprianus Serm. de Passione Domini dicit: *Non te ut patereris coegit necessitas.* Sanctus Chrysostomus hom. XXVIII. in Epistolam ad Hebraeos ait: *Licebat ipsi nihil perpeti, si voluisset, et potestatem habebat, si noluisset, crucem adire.* S. Ambrosius lib. IV. de Fide cap. V. *Sicut potestatis suae esse significat ponere animam, et liberae voluntatis, ita etiam quod secundum mandatum deposuit Patris, suae ac paternae voluntatis significat unitatem.* Sed ut caeteros omittam, videamus quomodo suo more de hac veritate

ratiocinatur Angelicus Doctor in tertia parte, quaest. XVIII., art. IV. *Electio autem* (inquit) *est idem quod voluntas ut ratio: et est proprius actus liberi arbitrii. . . Et ideo cum in Christo ponatur voluntas, et ratio: necesse est etiam ponere electionem, et per consequens liberum arbitrium, cujus actus est electio.*

194. Sed rem confecit sexta Synodus generalis, in qua de fide haec veritas definita est contra Monothelitas, qui, quoniam solam Divinam operationem admittebant in Christo, negabant propterea in illo humanam liberam voluntatem. Sed universa Ecclesia, quae in Oecumenicis Conciliis repraesentatur, in illis, quae ad fidem pertinent, est infallibilis. Ergo etc.

195. *Prob.* theologica ratione. Et quidem primo. Anima humana in Christo est ratione praedita, et integra servatur (prop. XIII. §. 156.). Ergo saltem, ut caeterae humanae animae, vera libertate gaudet. Secundo: Christi humanitas, quantum creaturae convenire potest, commereri debebat, ut Divinae Justitiae fieret satis pro peccatis hominum: ad hoc enim a Divino Verbo assumpta est, quae quidem illius merita infinitum acquirerent praetium ex hypostatica unione cum Natura Divina. Sed ubi nulla libertas, ibi nullum meritum esse potest. Ergo etc.

PROPOSITIO XIX.

Adversus impium Calvinum pro viribus tuemur, Christum ut homo est, non solum non peccasse: sed nec peccare ullo modo potuisse.

196. *Prob.* Nolumus hic afferre innumera propemodum Sacrae Scripturae testimonia, quae praecisis verbis hanc nostram docent veritatem: sed placet potius theologica ratione horrendam Calvini sententiam refutare, qui ausus est dicere, Christum a Patre fuisse derelictum, quapropter quasi in desperatione obiisse. Itaque primo. Anima Christi in unitate Personae unita est cum Divino Verbo, ut demonstratum est (prop. XII. §. 138.). Sed quae fiunt in partibus subjecti personalis, subjecti personae tribuuntur, praesertim in Christo propter communicationem idiomatum, ut mox videbimus. Ergo si Christus, ut homo inspectus, peccare potuisset, certe illius Personae, quae est Divina, peccatum tribui deberet. Sed quid magis . ... Pudet ducere illationem.

197. Secundo. Christus, ut homo, datus est, ut virtute hypostaticae unionis cum Divino Verbo, peccatum destrueret, et omnibus hominibus ad mortem infirmis mederet. Quis alter ergo, si ipse peccare potuisset, illius peccatum destrueret? Quis alter medicus illius infirmitati potuisset medere? Ergo dicendum etc.

Una solvitur difficultas.

198. Contra hanc nostram thesim, et simul superiorem, unum momentum est, cui videtur respondendum, scilicet. Ex superiori Thesi anima humana in Christo libera est. Sed libertas est facultas agendi, aut non agendi: agendi hoc potius, quam aliud, et etiam oppositum. Ergo Christus, ut homo, peccare potuit. Quod si hoc non arridet, dicendum, quod liber non fuit. Quippe utrumque simul contradictorium ést; ergo alterum solum dici potest.

℟. Et quidem primo dicimus, quod allatum ratiocinium in se, quomodo libertas accipitur ab adversariis, nimis probat, et propterea nihil certi concludere potest. Et quidem, nonne Deus liber, liberrimus est? Ergo ne dicemus, illum peccare posse? Sane adversarii negare non possunt, quod libertas sit perfectio. Sed numquid perfectionem ordinatam dicemus ad maximam imperfectionem, quod est peccatum? Et tamen id necessario sequeretur in sensu, quo adversarii accipiunt libertatem, scilicet pro libitu agere hoc, vel oppositum sine exercitio rationis, et sic bene, vel male operari. Deponant hunc errorem, et dicant potius, libertatem esse facultatem eligendi per electionem, non vero necessario, sub directione tamen rectae rationis; et adeo quidem, ut nulla sit libertas, ubi agens non sit rationalis. Unde cum excludit necessitatem agendi, non includit facultatem agendi quodvis, etiam quod actu cognoscitur ut verum malum, sed solum quod recta ratio, saltem ut apparens bonum dictat. Et

quidem libertas sequitur esse rationale. Ergo exercitium libertatis necessario esse debet juxta dictamen rectae rationis; alioquin libertas stare non posset cum esse rationale, et contra, quo nihil evidentius falsum. Exinde enim factum est, ut dum philosophi omnes dicunt, hominem gaudere omni genere libertatis, indifferentiae, contrarietatis, contradictionis, a coactione etc. nihilominus inter omnes convenit, quod liber non est circa bonum, et malum in genere. Cur id? Quia nec in malo in genere ratio boni, nec in bono similiter in genere concipi potest ratio mali: et consequenter si circa ista homo esset liber, tunc appeteret malum repraesentatum ut malum, et rejiceret bonum repraesentatum ut bonum, quod est contra rectam rationem. Si ergo per adversarios libertas est perfectio, ipsa agere debet per electionem, juxta tamen dictamen rationis. Et propterea libera fuit anima humana in Christo, et tamen nullo modo peccare potuit, quia cum hypostatice unita esset cum Persona Divini Verbi, supra omnem modum ita semper illustratum habebat intellectum, ut errare non potuerit in vera cognitione boni, et mali; et consequenter circa electionem per rectam rationem. Paucis verbis. Humanus Christi intellectus adeo Divina gratia illustratus fuit, ut decipi non potuerit in cognitione boni, et mali, et ita quidem, ut bonum, et malum peculiare fuerit ipsi, ut est nobis bonum, et malum in genere. Et propterea sicut nos, etsi liberi, appetere non possumus malum in genere; ita Christus, etsi nobiliore libertate donatus, non potuit nec generale, nec peculiare malum velle: quod idem est ac dicere, nullimode potuit peccare.

Sed tempus est, ut gradum faciamus ad Christi proprietates, quae utrique naturae simul conveniunt, si prius tamen pauca dicamus de proprietatibus corporis ejusdem: Itaque sit

PROPOSITIO XX,

Christi corpus in hac vita vere humanis necessitatibus, et doloribus fuit subjectum.

199. *Prob.* ex scripturis. Isaias loquens de Christo venturo ait cap. LIII. v. 4. *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. . . Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.* Et haec quidem verificata esse, habemus ex libris Evangeliorum, in quibus passio, et crudelissima mors describitur Christi Redemptoris. Ergo revera doloribus subjectum fuit Christi corpus. Quod autem necessitatibus quoque, et humanis affectionibus fuerit subjectum, patet ex quo modo in scripturis dicitur fame, et siti laborasse, et modo fatigatus, et somno captus. Sic Matth. IV. v. 2. *Cum jejunasset quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, postea esuriit.* Joan. IV. v. 7 Christus dixit Mulieri Samaritanae. *Da mihi bibere.* Ergo fame, et siti laboravit. Et ibidem v. antecedenti legitur: *Jesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem.* Et apud Matth. cap. VIII. v. 24. legimus. *Ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus: ipse vero* (Christus) *dormiebat.* Ergo Christi corpus laxitudini, et somno fuit subjectum. Et propterea in hac vita vere etc.

200. Et haec veritas confirmatur ex communi sententia Ss. Patrum, praesertim Basilii Homil. de gratiarum actione: Athanasii lib. de *Incarnatione*, Tertulliani lib. II. contra Marcionem, cap. XXVII.: et sic de caeteris. Quibus omnibus additur auctoritas Concilii Ephesini, in quo anathematismo XII. allata a nobis Scripturarum loca Patres interpretantur de vera fame, et de veris doloribus.

201. Sed placet breviter argumentari ex theologica ratione simul cum Divo Thoma par. III. quaest. XIV. art. I. Et quidem primo. Finis, cur Filius Dei humanam carnem assumpsit, est ut doloribus, et morte pro nobis satisfaceret Deo Patri, secus enim ad nihilum inservisset hujusmodi assumptio. Ergo doloribus, et infirmitatibus assumptum corpus fuit subjectum. Secundo. Fides Christianorum in eo tota est, ut credamus, et confiteamur, Deum in carne passibili. Ergo etc.

202. Quod unum adversus nostram thesim objicitur, est illud Psal. XV. v. 10. *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*; quod communiter Patres interpretantur de Christo. Unde nonnulli inferre nituntur, Christi corpus non fuisse passibile. Sed licet demus, ita allata verba intelligi debere, quid inde? Nonne revera non permisit Deus, ut corpus Filii sui Christi corruptioni esset subjectum? Nonne propterea tertio die suscitatum reddidit, et gloriosum? Sed videant, qui haec opponunt, quod nostra thesis est de corpore Christi in hac terrena vita, non vero post mortem, et resurrectionem, cum jam doloribus, et cruciatibus satisfactum fuit Divinae Justitiae.

CAPUT IV.

De proprietatibus, quae quodammodo dici possunt communes, et quasi mixtae, et praesertim de communicatione Idiomatum.

203. Non eo sensu aliquas Christi operationes quodammodo communes, et quasi mixtas, dicimus, quasi in ipso commixtae sint Naturae Divina, et humana, ita ut ex utraque aliquod tertium factum sit: id enim pro viribus jam reprobavimus in primo capite hujus quintae partis. Sed hoc sensu loquimur, quatenus sunt in Christo plurimae humanae actiones, quae ut praedestinatum finem consequantur solae non sufficiunt, sed virtute indigent Divinae Naturae: uti sunt actiones omnes, et virtutes, quibus Christus Divinae Justitiae satisfecit pro peccatis hominum. Sed quoniam in sequenti sexta parte sermo erit de Christi muneribus, quae ad humanitatem pertinent unitam Personae Divini Verbi; ideo breviter attingimus solum communicationem idiomatum.

204. Communicatio idiomatum nihil aliud est in Christo, nisi communicatio proprietatum Divinae, et humanae naturae, seu tribuere Deo, quae sunt hominis, et vicissim tribuere homini, quod est Dei proprium. Et quidem cum Christus sit unus, et unica in ipso sit Persona Divini Verbi, et tamen duae sint in eodem naturae Divina, et humana, integrae, et impermixtae, ita ut idem Christus sit verus Deus, et perfectus ho-

mo ; idcirco quasi (dicerem) pro medio termino accipiendo Christum, dicimus : Christus, qui est unus, et una Persona, est Deus. Sed idem est homo. Ergo Deus est homo ; et homo est Deus. Quod revera non ita accipiendum est, quasi humanitas in Christo sit idem ac Divinitas, et vicissim. Maximum certe erroneum esset id dicere : impermixtae enim permanserunt naturae in hypostatica unione ; nec Divinitas verti poterat in humanitatem, nec humanitas in Divinitatem. Sed sensus est : Ille idem Christus, qui est Deus, est verus homo ; et idem Christus, qui est verus homo, est etiam verus Deus.

205. Et ex inde etiam fit, ut proprietates Dei tribuamus homini, et proprietates hominis asseramus de Deo. Unde recte dicimus : Deus natus, passus, et mortuus est. Et eadem de causa fit, ut cum proprietates utriusque naturae propriae sint unius Personae Christi, quae propterea invicem praedicantur, propterea etiam operationes humanae naturae in Christo sint meriti infiniti, vim et virtutem recipientes a Natura Divina, sive a Persona Divini Verbi. Et ob hanc unicam rationem nos diximus quasi communes, et mixtas.

206. Sedulo tamen advertendum est, quod ex doctrina Catholicae Ecclesiae communicatio idiomatum locum tantummodo habet quoad nomina concreta, quae scilicet considerantur unita cum suo subjecto, non vero inter abstracta, quae a suo subjecto per mentis abstructionem concipiuntur separata : nec inter concreta, et abstracta. Unde recte dicimus, quod Deus factus est homo, mortalis, infirmus etc. ; et vicissim homo Deus

aeternus, omnipotens etc. verum non dicimus, Divinitatem factam esse humanitatem, immortalitatem mortalitatem etc. et vicissim: nec Deum factum esse humanitatem, immortalem mortalitatem etc, et vicissim. Hoc itaque in sensu intelligenda est nostra sequens de fide

PROPOSITIO XXI.

Admittenda est in Christo Communicatio idiomatum.

207. *Prob.* ex Scripturis. Apostolus in prima ad Corinth. cap. II. v. 8. loquens de morte Christi, ait: *Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriae crucifixissent.* Et item ad Philip. cap. II. v. 8. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis.* Ergo de Domino gloriae, scilicet Deo, recte, et vere dicendum, humiliatum, et factum esse obedientem, et etiam crucifixum, et mortuum esse; quae omnia humanae, non Divinae Naturae conveniunt. Et vicissim habemus Auctorum cap. III. v. 15. *Auctorem vero vitae interfecistis, quem Deus suscitavit a mortuis, cujus nos testes sumus.* Certe hic sermo est de Christo, quatenus homo est, non vero ut Deus: et tamen appellatur auctor vitae. Et Joan. cap. III. v. 13. Christus, ut homo, de seipso ait, quod descendit de Coelo, et est in Coelo, quod non humanitati, sed personae convenit Divini Verbi: *Nemo ascendit in Coelum, nisi qui descendit de Coelo, Filius hominis, qui est in Coelo.*

208. Et haec est communis doctrina Ss. Patrum,

ex quibus unum seligimus Maximum Doctorem Augustinum; qui lib. II. contra Maximum cap. XX. ait: *Si attendas distinctionem substantiarum, Filius Dei de Coelo descendit, Filius hominis crucifixus est: si unitatem personae, et filius hominis descendit de Coelo, et Filius Dei crucifixus est.*

209. Idipsum bene suadet theologica ratio innixa principiis hactenus expositis, et vindicatis. Etenim in Christo una est persona, et duae naturae perfectae, et impermixtae. Ergo eidem Christo, et consequenter personae illius conveniunt proprietates utriusque naturae, Divinae, et humanae. Ergo si istae omnes eidem conveniunt, recte invicem communicantur, hoc est de Deo praedicantur humanae, et de homine Divinae. Et id tamen de concretis solum, non vero de abstractis; quia cum integrae, et impermixtae naturae permanserint, Divinitas non facta est humanitas, nec humanitas Divinitas, nec Omnipotentia imbecillitas, et sic de caeteris.

Solvuntur objectiones Lutheranorum.

210. Ex hoc dogmate occasio data est Lutheranis Ubiquistis sic contra argumentari. Si daretur communicatio idiomatum, sequeretur, ut quae conveniunt Deo, convenirent quoque homini, et vicissim: et propterea Christo, ut est homo, conveniret esse ubique, ut convenit Deo; et conveniret Deo terminari in aliquo loco, ut terminatur homo. Sed illud nolunt admittere Romanenses; et hoc est absurdum, quia nequit Deus limi-

tibus circumscribi. Ergo non admittenda est communicatio idiomatum.

2. Jam praeter argumenta ex scripturis, quibus demonstrata est communicatio idiomatum, in superiori §. 109. dictum est cur, et quomodo id fiat. Nunc restat ut contradictio dissipetur, quam inde sequi adversarii evincere conantur. Itaque quoad primam partem, scilicet inde sequi, quod Christo, ut homo est, conveniret esse ubique, quod nobis non placet, dico. Locus non est, ut communiter concipitur, veluti substantia aliqua vacua, in qua sicuti in vase, existunt corpora: sed vere nihil aliud est, nisi relatio coexistentiae, quam substantiae corporeae inter se habent. Quippe mihi persuasum est, quod nemo est, qui opinetur, relationem istam coexistentiae ita essentialiter convenire corporibus ut sine illa, neque virtute Divina, possent existere; sed tantummodo eisdem convenire ratione systematis, hoc est, quia sic voluit Deus. Et requidem vera. Si fiat hypothesis, ut una sola corporea substantia existat, evanesceret tunc quaevis idea loci, et etiam motus. Ergo locus est simplex relatio coexistentiae corporibus non essentialiter conveniens, sed ex voluntate Dei.

211. Hisce positis, dico, quod si ab humanitate Christi auferatur a Deo relatio coexistentiae, tunc in nullo loco erit: quod si servetur, tunc non erit in omni loco, quia,salvo mundano systemate,sive physicis naturalibus legibus, unum quodque corpus suam propriam existentiae relationem habet. Sed quid inde? Nunquid quia Divinum Verbum ubique est, ubique quoque esse deberet humanitas?Sed nunquid, cum dicimus, Deum esse ubique,in-

telligimus, Deum eodem modo esse in omni loco, quo in uno loco sunt corpora, scilicet per relationem coexistentiae? Absit. Sed ubique dicitur Deus, quia ubique operari potest, quoniam non circumscriptive est in loco. Ergo operatur cum humanitate sibi assumpta quo modo, et ubi sibi placet. Sed virtus ista est propria solius Dei: ergo non convenit humanitati, quia in Mysterio Incarnationis humanitas non conversa est in Divinitatem, sed remansit impermixta, ut supra demonstratum est.

212. Ex inde patet etiam responsio ad alterum. Si locus nullimode convenire potest Naturae Divinae, sed tantum corporibus, et id ratione systematis. Item si integrae et impermixtae in Christo permanserunt Natura Divina, et humana cum suis proprietatibus: inde necessario fit, ut natura humana sit in loco, minime vero Natura Divina, etsi in omni loco operari possit, et consequenter ubicumque erit natura humana (vide quae de Dei immensitate diximus in III. lib.)

213. Sed insurgunt Ubiquistae. De fide est, quod Corpus Christi revera est in Eucharistia, quae non in uno loco est, sed ubicumque fit consecratio panis et vini. Ergo si potest esse ubique, cur non ubique dicitur per communicationem idiomatum?

℟. Iterum dico, quod Natura Divina, vere loquendo, in nullo loco est, licet in omni loco operatur. Ergo ubicumque fit consecratio, sibi habet unitam naturam humanam. Quod autem Christi corpus in Eucharistia esse potest in pluribus locis, et propterea per adversarios non repugnat, ut sit ubique; dico quod hic modus existendi est

prorsus diversus a modo naturali existendi corporum. Et nos jam in superiori §. diximus, quod naturalis modus existendi corporum, scilicet per relationem coexistentiae, non illis essentialiter convenit, sed tantum ratione systematis, hoc est ex voluntate Dei. Quod si placet, dic, quod Christi Corpus in Eucharistia non dicit relationem coexistentiae. Nec inde timeas, quod sequeretur, non esse verum corpus, quia careret extensione, et impenetrabilitate, quae proprietates necessario dicunt relationem coexistentiae, et consequenter locum. Quippe proprietates istae, si de corporibus individuis sermo fiat, non sunt proprietates essentiales, et formaliter substantiis inhaerentes, sed sunt phaenomena, scilicet ideae, quae a nostra mente efformantur ex occasione actionum, quas in nostris organis operantur exteriora objecta; et consequenter pendent a Divina voluntate. A divina, inquam, voluntate dependet, ut objecta agant, a Divina voluntate ut agendo, irritatio fiat in fibriculis cerebri, et anima illam agnoscat, et ideas inde efformet, quas sensibilium proprietatum dicimus. Ergo si Christi Corpus in Eucharistia in pluribus locis existit, non existit materiali modo, sive secundum naturalem legem naturae, sed ut diximus, modo prorsus diverso, et ut dicunt Theologi, *sacramentaliter*.

214. Ex dictis patet quanti facienda sunt multa, quae opponi solent. Scilicet I: Christus in Scripturis dicitur exaltatus, et sedens ad dexteram Patris. Procul dubio id intelligi debet de Christo, ut est homo, nam ut Persona Verbi semper fuit, sive est, ad dexteram Patris. Sed Pater est ubique. Ergo ubique quoque est Christi

corpus. II. Apostolus ad Ephesios cap. IV. v. 10 dicit de Christo, et consequenter de humanitate. *Ascendit super omnes Coelos, ut impleret omnia.* Ergo est ubique. III. Divinum Verbum est ubique. Sed illi in unitate Personae conjuncta est humana natura. Ergo etiam Christi humanitas est ubique.

℞. Haec, inquam, et alia, ex superius dictis nullius momenti sunt. Deus non est in loco, etsi ubique operetur. Ergo cum Christi humanitas dicitur sedere ad dexteram Patris, id nullimode intelligi potest de vera dextera, seu loco, sed tantummodo de honore singularissimo. Et sensus verborum Apostoli non est de physica ascensione, et de vera occupatione omnium locorum, sed de maximo honore, et quod etiam impleta sunt omnia oracula Prophetarum. Etsi enim Deus peculiari modo in Coelo operatur, et suam manifestat gloriam, non ibi tamen sedit, ut in loco. Tandem. Si Divinum Verbum dum ubique operatur, non tamen ubique est, ut in loco. Ergo ex vera unione cum humana natura, non sequitur quod natura humana debeat esse in omni loco. Et exemplum habemus ex nostra anima: etsi enim corpus sit in uno loco, ipsa tamen cogitatione est ubi placet.

PARS VI.

DE CHRISTI REDEMPTORIS MUNERIBUS.

215. Christi munus unum proprium est, scilicet redimere humanum genus ab aeterna morte, in quam poenam incurrerat pro peccatis, satisfaciendo Divinae justitiae pro infinita injuria Deo ab hominibus illata. Sed quoniam homo peccans multorum factus est Deo debitor, inimicus ejusdem, et reus aeternae mortis, idcirco triplici modo consideramus Christi Redemptoris munus. I. videbimus, num fuerit pro nostris delictis sponsor apud Deum. II. num fuerit Mediator pacis, et etiam amicitiae. III. num fuerit verus Sacerdos, qui gratam propitiationis hostiam Deo pro nobis obtulit. Et tandem videbimus etiam quomodo, num scilicet ad justitiae rigorem, pro omnibus Divinae Justitiae fecerit satis.

CAPUT I.

Christus sponsor apud Deum fuit pro nostris debitis.

216. Nullam satisfactionem Deum requirere pro injuria sibi illata ab hominibus, error est Socinianorum. Quapropter ausi sunt dicere, quod Christus non vere, sed improprie tantum, dicitur pro peccatis hominum Deo satisfecisse. Hoc est: quia ex decreto Dei nobis praebuit exemplum virtutis, ideo dici aperuisse nobis

viam salutis, et quod sit Salvator noster. Ante omnia ergo opus est hunc errorem refellere, et demonstrare, Deum velle sibi satisfieri pro peccatis hominum.

PROPOSITIO XXII.

Deus revera irascitur hominibus propter peccata illorum, et dignam satisfactionem reposcit puniendo.

217. *Prob.* Innumera prorsus sunt Sacrarum Scripturarum loca, quae conceptis verbis veritatem demonstrant nostrae thesis. Et quidem ex veteri testamento sic habemus in Psal. V. v. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es: neque habitabit juxta te malignus, neque permanebunt injusti ante oculos tuos. Odisti omnes, qui operantur iniquitatem: perdes omnes, qui loquuntur mendacium: virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus.* Item in Psal. XCIII. *Deus ultionum Dominus; Deus ultionum libere egit.* Tum Jerem. cap. II. v. 56. *Fortis ultor Dominus reddens retributionem.* Et pariter Ezechielis cap. V. v. 13. habemus: *Complebo furorem meum, et requiescere faciam indignationem meam in eis.* Sed prae omnibus testimoniis, rem clarissime conficit maledictio, quam Deus in Adam pronuntiavit. Sic enim legimus Gen. cap. III. v. 17. et seq. *Quia audisti vocem uxoris tuae, et comedisti de ligno, ex quo praeceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitae tuae. Spinas, et tribulos germinabit tibi, et comedes her-*

bam terrae. In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumptus es: quia pulvis es, et in pulverem reverteris.

218. Sed magis ira Dei contra peccatores qui poenitentiam agere renuunt, patet ex omnibus libris novi testamenti. Sed aliqua tantum loca afferimus. Et quidem Matth. cap. III. v. 7. sic Baptista improbat peccatoribus. *Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo fructum dignum poenitentiae.* Et cap. XVI. v. 27. *Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis: et tunc reddet unicuique secundum opera ejus.* Ergo irascitur Deus peccatoribus. Sed videamus quomodo loquuntur Apostoli in suis Epistolis. Paulus itaque ad Rom. cap. II. v. 5. scribit: *Secundum autem duritiam tuam, et impoenitens cor, thesaurizas tibi iram in die irae, et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus.* Sanctus Petrus in secunda Epist. cap. II. v. 4. scribit: *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari. Et originali mundo non pepercit, sed octavum Noe justitiae praeconem custodivit, diluvium mundo impiorum inducens, et Civitates Sodomorum, et Gomorrhaeorum in cinerem redigens, eversione damnavit: exemplum eorum, qui impie acturi sunt, ponens etc.* Et S. Jacobus cap. V. v. 1. dicit: *Agite nunc divites, plorate ululantes . . . Thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus . . . Epulati estis super terram,*

et in luxuriis enutristis corda vestra, et in die occisionis. Sed terribilis est comminatio Christi adversus Jerusalem Matth. cap. XXIII. v. 37. et seq. *Jerusalem, Jerusalem, quae occidis Prophetas, et lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Tandem sic Judas Aposolus minitatur peccatoribus vers. 11. *Vae illis, quia in via Cain abierunt, et errore Balaam mercede effusi sunt, et in contradictione Core perierunt... Ecce venit Dominus in Sanctis millibus facere judicium contra omnes, et arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum.* Dicendum ergo quod Deus revera irascitur etc.

PROPOSITIO XXIII.

Christus Deó Patri se sponsorem obtulit pro nostris debitis.

219. *Prob.* Christus Deo Patri se sponsorem obtulit pro nostris debitis, si pro nobis passus sit, et quidem illas poenas, quas pro nobis illi Deus imposuit, et eaedem ita Deo acceptae fuerint, ut propterea nostra peccata relaxare dignatus sit. Sed res ita se habet. Et quidem haec omnia ita evidenter habemus ex Isaia, ut obmutescant necesse est Sociniani omnes. Sic ergo Isaias prophetizans de Christo ait cap. LIII. v. 4. *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse*

portavit: et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostrae super eum, et dolore ejus sanati sumus . . . posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est, quia ipse voluit, et non aperuit os suum... propter scelus populi mei percussi eum . . . Eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus. Dominus voluit conterere eum in infirmitate: si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum. Quid ulterius desiderari potest pro vero sponsore? Hic habemus acceptationem Patris, quoniam ipse propter scelera nostra percussit Christum: hic habemus Christi voluntatem, quia ipse volens posuit animam suam: et hic habemus veram debiti relaxationem, quia livore ejus sanati sumus. Ergo etc.

220. *Prob.* ex novo Testamento. Petrus Princeps Apostolorum in Epist. I. cap. II. v. 23. scribit. *Tradebat autem judicanti se injuste. Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, justitiae vivamus: cujus livore sanati estis.* Ergo voluntarie Christus obtulit se morti crucis: voluntarie pertulit in suo corpore peccata nostra, ut sic nos justi efficeremur; et ut suo sanguine a mortifero peccati vulnere sanaremur. Ergo fuit verus sponsor pro nobis apud Patrem. Quomodo ergo per Socinianos simplex praebuit virtutis exemplum? Et hoc ipsum dicit Joannes in prima epistola cap. II. v. 2. *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro*

nostris autem tantum , sed etiam pro totius mundi. Item Apostolus in prima ad Timoth. cap. II. v. 5. ait: *unus enim Deus , unus et Mediator Dei , et hominum homo Christus Jesus : qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Et idem ad Hebraeos cap. VII. v. 28. *In tantum melioris testamenti Sponsor factus est Jesus ... Semper vivens ad interpellandum pro nobis.* Sed clarius idem Apostolus hanc docet veritatem in epist. II. ad Corinth. cap. V. v. 21. dicens: *Eum, qui non noverat peccatum , pro nobis peccatum fecit , ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.* Quod ipsum confirmat ad Galatas cap. III. v. 13. *Christus nos redimit de maledicto legis , factus pro nobis maledictum : quia scriptum est : maledictus omnis , qui pendet in ligno.* Si ergo Christus est mediator noster: si pro nobis sponsor factus est , et semper interpellat pro nobis : si innocens voluit apparere ut peccator , et sic omnibus cruciatibus subjectus , ut nos justi efficeremur : Si ut a maledictione legis nos liberaret , re , scilicet morte crucis , ipse visus est homo maledictus ; quomodo non reipsa fuit pro nobis sponsor apud Deum, solvendo nimirum illa debita , illam poenam , quam Divina Justitia pro nostris peccatis flagitabat ? Resipiscant itaque Sociniani a sua caeca haeresi.

Solvuntur objectiones Socinianorum.

221. Objectiones Socinianorum eo tendunt omnes , ut detorqueant sensum Sacrae Scripturae testimoniorum. Et quidem ad evidentissimum testimonium Isaiae a no-

bis allatum (219), dicunt, verba hebraica esse ambigua, scilicet non probare, Christum revera passum pro nostra salute, sed tantum abstulisse nostra peccata, id quod melius convenit, ut non vere patiendo, sed miserando, et parcendo fecerit. Et quidem ex Evangelio Matth. cap. VIII. v. 16. languores non revera in se pro nobis pertulit, sed ab hominibus abstulit, infirmos sanando. Haec sunt verba Matth. *Vespere autem facto, obtulerunt ei multos Daemonia habentes, et ejiciebat spiritus verbo: et omnes male habentes curavit: ut adimpleretur, quod dictum est per Isaiam dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit: et aegrotationes nostras portavit.*

ʀ. Temerarios nimis se ostendunt Sociniani, cum dicunt, verba Isaiae ambigua esse, nec inde sequi Christum revera pro nobis passum fuisse, sed tantum parcendo, peccata abstulisse. Quippe ad evidentiam usque verba subsequentia Isaiae indicant, Christum dolores pertulisse pro nobis, et a Deo fuisse percussum propter iniquitates nostras: *Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra... Livore ejus sanati sumus.* Quomodo ergo parcendo, et non vere dolores perpetiendo, nostras abstulit iniquitates? Sed et falsum omnino, quod subjiciunt, scilicet, quod magis Deo convenit commisereri, et parcere hominibus, quam velle, ut Christus doloribus se subjiceret, ut hominum iniquitates deleantur. Etenim, sicut misericors est Deus, ita etiam est essentialiter Justus. Ergo ut justus non convenit ut parcat: et, ut summe misericors scivit invenire medium, quo et ho-

mo salutem assequi posset, et abunde suae justitiae fieret satis: invenit scilicet Incarnationem Divini Verbi, ex qua cum haberetur Christus Deus, et homo, ipse ut homo pati posset, et ut Deus meriti infiniti esset illius passio, ut infinitam peccati malitiam destrueret.

Ad Matth. testimonium dicimus, quod duo praedixit Isaias de Christo: I. quod multa mirabilia operaretur apud Judaeos, per civitates transiens benefaciendo: alterum, quod dolores, et mortem subiret pro aeterna salute hominum. Et quidem, si Isaias dicit: *Vulneratus est propter iniquitates nostras . . . Livore ejus sanati sumus:* quomodo ista intelligi possunt de simplici cura physicae infirmitatis hominum? Nunquid infirmitatem aegrotorum curavit vulnerando seipsum? Aut infirmi sanabantur livore ejusdem? Ergo verba Matth. intelligenda sunt de infirmitatibus corporis, et animae. Et quidem loquitur praesertim de infirmis Daemonia habentibus: *Obtulerunt ei multos Daemonia habentes, et ejiciebat spiritus verbo.*

CAPUT II.

Num Christus pro nobis Divinae Justitiae satisfecerit ut Mediator.

222. Multiplici modo sumitur vocabulum *Mediator*. Sed nos hic eo tantum sensu accipimus, quod scilicet cum per peccatum homo factus sit Dei inimicus, Christus hominem in pristinam Dei amicitiam restituit, et reconciliavit, satisfaciendo tamen Divinae Justitiae. Et

propterea in hoc capite refellere conamur, errorem Socinianorum, qui hoc sensu solum Christum dixerunt Mediatorem, quia deprecatus est, et adhuc deprecatur pro nobis Patrem. Secundo, videbimus quoque, num Christus fuerit Mediator solum ut homo, ut docuit Franciscus Scandarus in lib. *de Trinitate*, *et Mediatore*, *contra Tigurinos*; aut sola ratione Divinitatis, ut habemus de Calvino. Igitur contra Socinianos sit

PROPOSITIO XXIV.

Christus est Mediator Dei, et hominum, vere tamen satisfaciendo Divinae Justitiae.

223. *Prob.* Deum peccatoribus iratum esse, jam supra demonstravimus, et confirmatur ex verbis Apostoli in Epist. ad Ephesios cap. II. v. 3. *Eramus natura filii irae.* Item ad Galatas cap. III. v. 10. *Quicumque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt.* Sed Christus non rogando solum, sed satisfaciendo, illum nobis propitium reddidit. Ergo etc. Et quidem ille, qui aliquem redimit, illius procul dubio debita solvit. Sed Christus nos redemit praetio sanguinis sui, et sic justos nos reddidit apud Patrem. Etenim sic habemus in Epist. ad Rom. cap III. v. 24. *justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quae est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem.* Et item Joannes in prima Epist. cap. II. v. 2. ait: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Ergo etc.

224. Confirmatur. Christus sanguine, et morte nos Deo Patri reconciliavit. Ergo fuit Mediator vere pro nobis satisfaciendo Divinae Justitiae. *Prob. ant.* Apostolus ad Rom. cap. V. v. 10. scribit: *Cum inimici essemus reconciliati sumus per mortem Filii, sui:* Et ad Ephesios cap. II. v. 13. *Nunc autem in Christo Jesu, vos, qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriae solvens, inimicitias in carne sua.* Et clarius idem Apostolus ita scribit ad Colossenses cap. I. v. 19. *Quia in ipso placuit, omnem multitudinem inhabitare: Et per eum reconciliare omnia in ipsum pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quae in terris, sive in Coelis sunt. Et vos cum essetis aliquando alienati, et inimici sensu in operibus malis: nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem, exhibere vos sanctos, et immaculatos, et irreprehensibiles coram ipso.* Et tandem ad Timoth. cap. II. v. 5. ait: *Unus enim Deus, unus et mediator Dei, et hominum homo Christus Jesus: qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Ergo etc.

225. Omittimus SS. Patres, et sic ratione Theologica nostram thesim confirmamus. Procul dubio nequeunt Sociniani negare Divini Verbi Incarnationem, neque Christi Passionem, et mortem. Si ergo Christus solum orando esset Mediator, et non revera satisfaciendo, ad quid Incarnatio, Passio, et Mors? Nequit fieri, ut eo usque perveniat Socinianorum impietas, ut cogitare audeant, quod vel frustra, vel pro seipso mortuus sit Christus; et eo magis, quod si illum quoque reum

cogitare vellent, tunc nullius ponderis esset sua oratio pro nobis apud Patrem. Ergo passus, et mortuus est, ut vere pro nobis satisfaceret Divinae Justitiae.

PROPOSITIO XXV.

Christus neque solum ut homo, neque solum ut Deus, sed ut homo Deus, fuit Dei, et hominum Mediator.

226. *Prob. prima pars.* Christus fuit Mediator satisfaciendo Divinae Justitiae sanguine, et morte. Sed Apostolus in prima ad Corinth. dicit, Dominum gloriae, scilicet Deum, fuisse crucifixum. Ergo non ut homo solum Christus fuit Redemptor. Et idem Apostolus ad Philip. cap. II. v. 6 ait. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo: sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens* etc. Ergo Christus fuit Mediator, ut Persona Divina humiliata in natura humana.

227. Confirmatur ratione Theologica. Christus ut munere fungeretur Mediatoris satisfacientis, non vero deprecantis tantum, ut superius demonstratum est, debuit plene satisfacere Justitiae Divinae. Sed ad id requiruntur merita infinita, quoniam vera satisfactio debet esse in ratione allatae injuriae; et injuria Deo allata pro peccato erat infinitae malitiae. Ergo infiniti valoris similiter esse debuerunt Christi merita. Sed repugnat, ut simplex homo infinita acquirat merita. Ergo non potuit Christus solum ut homo esse Mediator satisfaciens.

228. *Prob. secunda pars.* Apostolus in prima ad

Timoth. cap. II. v. 5. scribit : *Unus enim Deus , unus et Mediator Dei , et hominum homo Christus Jesus*. Ad quid additur *homo* , si ut Deus tantum Christus fuerit Mediator ? Ergo etc.

229. Sed id evidenter demonstratur theologica ratione. Si Christus solum ut Deus fuisset Mediator , tunc reduplicative ut Deus Divinae Justitiae satisfecisset. Sed Deus , reduplicative ut Deus , neque mori , neque ullo modo pati potest. Ergo non potuit esse Mediator satisfaciendo. Sed nec simpliciter commiserando , et parcendo. Nec id solum , quia sicut misericors , ita etiam est essentialiter justus : sed ex jam peracta Incarnatione Divini Verbi. Ad quid enim Incarnatio isthaec , si absque satisfactione voluisset parcere , et commisereri ? Ad quid passio , et mors humanitatis assumptae in unitate Personae ? Dicendum ergo , quod Christus , ut homo Deus fuit Dei , et hominum Mediator satisfaciens. Sic enim ut homo potuit pati , et mori , et ut Persona Divina, cui hypostatice unita fuit humanitas , per communicationem idiomatum recte dici potest , quod Deus passus , et mortuus sit ; et propterea quod meriti infiniti ista mors , et passio esset ad plene Divinae Justitiae satisfaciendum.

Diluuntur objectiones Seanderi contra primam partem.

230. In Epist. ad Rom. cap. V. v. 15 habemus : *Si enim unius delicto multi mortui sunt : multo magis gratia Dei , et donum in gratia unius hominis*

Jesu Christi in plures abundavit. Et idem Apostolus in prima ad Corinth. cap. XV. v. 21. scribit. *Quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum.* Ergo ex doctrina Apostoli Christus, ut homo solum, est noster Mediator, et Redemptor. Et quidem Christus ideo est noster Mediator, quia semetipsum exinanivit, et factus est obediens usque ad mortem. Sed mortuus est ut homo. Ergo ut homo tantum est noster Mediator.

℞. Unus est Christus: Et tamen est perfectus Deus, et perfectus homo, quia Divinum Verbum in unitate suae Personae perfectam assumpsit humanitatem. Ut Persona Verbi, non potest Christus pati, et mori: Ergo passus, et mortuus est ut homo. Sed unus est Christus. Ergo cum dicit Apostolus, quod in gratia unius hominis Christi in plures abundavit gratia, et donum Dei, intelligenda est humanitas Christi in unitate personae conjuncta cum Divino Verbo. Itaque Christus, ut homo passus est, et ut Deus, illius passio fuit meriti infiniti ad satisfaciendum Divinae Justitiae. Ergo fuit Mediator satisfaciens et ut homo, et ut Deus. Et ex inde patet etiam responsio ad ultimum. Utique enim Christus mortuus est ut homo. Sed est etiam verus Deus. Ergo est Mediator, et Redemptor noster moriens ut homo, et merita infinita acquirens ut Deus.

Objectiones Calvini.

231. Calvinus autem ita rem suam conficere praesumit. Apostolus in Epist. II. ad Corinth. scribit

cap. V. v. 19. *Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.* Ergo Christus ut Deus tantum fuit noster Mediator. Et eo vel maxime, quod non fuit Redemptor satisfaciendo, sed tantummodo non imputando peccata, id quod soli Deo convenit. Etenim Apostolus immediate subdit. *Non reputans illi delicta ipsorum, et posuit in nobis verbum reconciliationis.*

R. Utique Deus erat in Christo reconcilians mundum; alioquin ut homo tantum nusquam reconciliare potuisset Divinae Justitiae satisfaciendo, quia simplex homo capax non est meriti infiniti. Christus (iterum dico) satisfaciendo reconciliavit Deo homines. Sed Christus est Deus homo. Ergo et ut Deus, et ut homo reconciliavit. Falsum autem prorsus, quod addidit Calvinus, Christum nimirum non fuisse Redemptorem satisfaciendo, sed tantum non imputando. Id enim non solum refutavimus §. 218 prop. XXII. Sed falsum quoque evincunt verba Apostoli subsequentia in objecto loco, scilicet: *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.* Quomodo ergo non satisfactionem postulando, sed tantum non imputando, per Christum Jesum Divinus Pater nos sibi reconciliavit, si adeo severe cum illo egit, ut plusquam peccatorem cruciatibus affecerit pro nostra justificatione? Concludendum igitur, quod Christus neque solum ut homo etc.

CAPUT III.

Christus ut Sacerdos pro nobis Divinae Justitiae satisfecit.

232. Quoniam plura hac in re contra doctrinam nostrae Catholicae Ecclesiae Sociniani pestifero ore evomuerunt, praesertim quod Christus non fuit Sacerdos, nisi post suam ascensionem in Coelum: quod improprie nostra peccata expiavit, quandoquidem non pro nobis mortuus est; nec pretium solvit pro nostris peccatis: duo propterea hic nobis erunt vindicanda. Primum, quod Christus in terris fuit verus Sacerdos. Secundum, quod in ara Crucis seipsum veluti hostiam obtulit pro nostris peccatis. Itaque sit

PROPOSITIO XXVI.

Christus fuit verus Sacerdos in terris.

233. *Prob.* In psal. LIX. v. 4. legimus de Messia Christo. *Tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.* Et quidem Melchisedech, ut habemus in libro Genesis cap. XIV. v. 18 obtulit pro Sacrificio panem, et vinum: *At vero Melchisedech Rex Salem, proferens panem, et vinum* (*erat enim Sacerdos Dei Altissimi*). Sed Christus hanc adimplevit figuram instituendo Eucharistiam in pane, et vino. Ergo si verus Altissimi Sacerdos fuit Melchisedech, verus quoque Sacerdos fuit Christus praefiguratus. Sed

omissis caeteris figuris veteris legis de Aaron, videamus quod de Sacerdotio Christi ait Apostolus ad Hebraeos cap. VII. v. 26. *Talis enim decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior Coelis factus. Qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi, hoc enim fecit semel, seipsum offerendo.* Si Christus ex Apostolo fuit Pontifex: si in terris pro nobis hostiam obtulit seipsum, quomodo non verus Sacerdos in terris? Nunquid oblatio ista facta fuit in Coelo, et non in ara crucis, in qua immolatus fuit?

PROPOSITIO XXVII.

Christus in cruce seipsum, tamquam victimam, obtulit Deo Patri pro peccatis totius mundi.

234. *Prob.* Apostolus ad Hebraeos cap. X. v. 6 et seq. sic inducit Christum loquentem ad Patrem. *Holocausta pro peccato tibi non placuerunt. Tunc dixi: ecce venio.* Ergo Christus venit, et mortuus est pro delendo peccato, ad quod non valebant holocausta animalium, quae Deo offerebantur a Sacerdotibus. Sed peccatores erant omnes. Ergo pro omnibus seipsum, tanquam victimam, Deo Patri obtulit. Sed clarius pergit Apostolus v. 8 et seq. *Quia hostias, et oblationes, et holocautomata pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi, quae secundum legem offeruntur, tunc dixi: Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem*

tuam : aufert primum , ut sequens statuat. In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel. Et jam cap. VII. v. 26 dixerat : *Talis enim decebat , ut nobis esset Pontifex . . . Qui non habet necessitatem quotidie , quemadmodum Sacerdotes , prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi : hoc enim fecit semel , seipsum offerendo.* Ergo revera Christus seipsum obtulit, veluti hostiam Deo Patri , et quidem non pro se, sed pro delictis populi, scilicet totius mundi. Item ad Romanos cap. V. v. 7. scribit : *Vix enim pro justo quis moritur . . . Commendat autem charitatem suam Deus in nobis : quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est.* Et ut omittamus innumera fere hujusmodi testimonia, Princeps Apostolorum in prima Epistola cap. III. v. 18 sic scribit : *Quia et Christus semel pro peccatis nostris mortuus est , justus pro injustis , ut nos offerret Deo.* Concludendum igitur etc.

CAPUT IV.

Num Christus abundanter Divinae Justitiae satisfecerit pro nostris peccatis.

PROPOSITIO XXVIII.

Christus ad rigorem justitiae Deo Patri satisfecit pro peccatis hominum.

235. *Prob.* David loquens de humana Redemptione in Psal. CXXIX. v. 7. ait : *Et copiosa apud Deum*

redemptio. Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus ejus. Si ergo redemptio fuit copiosa, et ex omnibus iniquitatibus, procul dubio ad rigorem justitiae fuit. Deinde Apostolus ad Romanos cap. III. v. 25 scribit: *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostentionem justitiae suae, propter remissionem praecedentium delictorum.* Ergo per sanguinem Christi tota demonstrata fuit, et consequenter satisfacta Justitia Dei, in remissionem peccatorum. Et ad Coloss. cap. II. v. 14. *Delens quod adversus nos erat Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci.* Ergo plene fuit satisfactum Divinae Justitiae. Quinimo ex Apostolo ipso satisfactio superabundavit. Sic enim scribit ad Romanos cap. V. v. 15. *Sed non sicut delictum, ita et donum: si enim unius delicto multi mortui sunt: multo magis gratia Dei, et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit.* Et v. 20. *Ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia.* Dicendum ergo etc.

236. Confirmatur breviter theologica ratione. Christus dum est verus Deus, et verus homo, unus tamen est, et unica in ipso est Persona, et haec Divina. Sed quae in partibus suppositi fiunt, ejusdem attribuuntur personae. Ergo merita passionis Christi, illius Personae tribui debent, uti jam supra demonstravimus, cum sermo fuit de communicatione idiomatum. Ergo merita Christi sunt valoris infiniti. Ergo ad apicem rigoris satisfecerunt Divinae Justitiae pro quantumvis infinita injuria illi allata a peccatis totius mundi.

Solvuntur nonnullae difficultates.

237. Parvi momenti sunt, quae adversus nostram thesim adduci solent; quapropter a nobis praetermittuntur, excepta una ex Scripturis, et altera ex Theologica ratione. Itaque ex Scripturis objiciunt verba Apostoli ad Colossenses cap. I. v. 24. *Adimpleo, quae desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia.* Ergo Christus non ad rigorem justitiae etc.

Et id confirmatur ratione Theologica. Malitia peccati, et proinde injuria Deo illata, fuit infinita. Sed cruciatus et tormenta, quae Christus passus est, et numero, et intensitate, et duratione fuerunt finita. Ergo satisfactio Christi non fuit ad rigorem justitiae, juxta allata verba Apostoli ad Colossenses.

℟. Non absolute Deus ab initio creationis Adae, et in plenitudine temporis, quando misit Filium suum ad redimendos homines, voluit aeternam nostram salutem, sed posuit quoque sub libero nostro arbitrio. Et in hoc maxime relucet infinita Dei bonitas, ut non semel diximus. Etenim cum omnia, quae habemus, gratuita dona sint, et libertas prae caeteris, voluit ut maximum omnium donorum, gloria scilicet aeterna, dependeret quoque a nostra libera cooperatione; ut sic quasi pro justitia nobis conferret caelestem beatitudinem. Et quoniam ad illam in aeternum aditus interdictus erat propter infinitam malitiam peccati: ideo misit Filium suum, ut humana carne indutus cruciatibus, et morte

illum iterum patefaceret, integre et abundanter Divinae Justitiae satisfaciendo. Aperuit. Sed non mutavit consilium, ut scilicet nos cooperantes gratiae, sine qua nihil prorsus efficere valemus dignum tanto praemio, libere in illum ingrediamur. Itaque, etsi plene satisfacta sint per Christum nostra debita, non inde sequitur, ut otiosi, vel etiam ingrati, ingredi possimus. Id ergo intelligit Apostolus in citato loco. Et quoniam pro omnibus lex ista data est, propterea subjungit, quod adimplet quoque, quae desunt passionum Christi in carne sua, pro corpore ejus, quae est Ecclesia. Scilicet, orat quoque, omnibus viribus et corporis, et mentis laborat pro omnibus fidelibus, praedicando, suadendo, et virtutum praebendo exemplum, ut unusquisque ponat, quod suum est, ut sic Coelorum januam meritis Christi reseratam possit ingredi.

Ad alterum dicimus, quod meritum, sicut et poena non commensuratur solum ab actionibus, sed maxime a persona, quae operatur, et ab illa, in quam operatur. Et quidem, non ne peccatum in se est actio finita? Et tamen est infinita illius malitia respectu Dei, cujus infinita Majestas laeditur. Ergo pariter dolores, et mors ipsa, licet in se sint finita, tamen in Christo sunt meriti plusquam, dicerem, infiniti, respectu suae Personae Divinae; et infinitae.

APPENDIX

DE CAUSIS DIVINI VERBI INCARNATIONIS.

238. Non hic quaerimus causam efficientem, quae operata est Incarnationem, quoniam nemo potest dubitare, quin fuerit solus Deus, sed causam potius occasionalem, cur scilicet Deus operatus sit Incarnationem. Hinc primo quaerimus, num si Adam non peccasset, nihilominus Divinum Verbum incarnatum fuisset ad manifestationem suae gloriae. Et num Patres veteris legis, et praesertim Beatissima Virgo Maria, meruerint Divinam Incarnationem.

239 Quoad primum, Scotus cum nonnullis aliis Theologis, tenet, Dei Filium Incarnatum fuisse, etiam Adamo non peccante. Varias ipse adducit rationes pro sua tuenda opinione: sed praecipua est, quod finis Dei in mundi creatione fuit manifestatio suorum attributorum, et communicatio suae bonitatis; id quod multo perfectius obtinuisset per Incarnationem Divini Verbi, quam per solam creationem. Et in confirmationem adducit quoque nonnulla testimonia Sacrarum Scripturarum.

240. Contra. Divus Thomas, cum plurimis aliis, docet, quod si Adam non peccasset, minime Divinum Verbum humanam carnem assumpsisset. Et id demonstrat ex Scripturis, ex doctrina Patrum, et Theologica ratione. Quae sit nostra opinio, bona venia tanti nostri Praeceptoris Scoti, sequens aperit.

PROPOSITIO XXIX.

Si Adam non peccasset, videtur Dei Filius non suscepisse humanam carnem.

241. *Prob.* ex Scripturis. Lucae cap. XIX. v. 10. scriptum est: *Venit enim Filius hominis quaerere, et salvum facere, quod perierat.* Ergo (consequentia est Divi August. in lib. *de verbis Domini*) si homo non peccasset, Filius hominis non venisset. Secundo: Apostolus in Epist. prima ad Timoth. cap. I. v. 15, ait: *Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.* Ex quibus Glossa concludit: *Nulla causa veniendi fuit Christo Domino, nisi peccatores salvos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, et nulla est medicinae causa.* Item Matth. cap. IX. v. 12. habemus: *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus . . . Non enim veni vocare justos, sed peccatores.* Tandem in Evangelio Joannis cap. III v. 16 legimus: *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Denique idem Joannes in prima Epist. cap. III. v. 8. ait. *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli.* Ex his omnibus patet, quod Divinum Verbum carnem assumpsit, ut nostram curaret infirmitatem ut nostrum destruet peccatum. Ergo si Adam non peccasset etc.

242. Et haec est doctrina multorum SS. Patrum. Et quidem antiquissimus Irenaeus lib. V. cap. IV. ait:

Si non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum fuisset. Tertullianus lib. de carne Christi cap. XIV. inquit: *Eadem ergo est causa, ut hominem gestaret Christus, salus hominis fuit causa.* Athanasius lib. de Incarnatione scribit: *Nostra causa occasionem illi descendendi praebuit, et nostra transgressio Verbi Divini humanitatem eliquit.* Et sic pariter S. Hilarius lib. IX. de Trinitate, Basilius Homil. XXIX. Gregorius Nazianzenus orat. XXXVI. Ambrosius lib. de Incarnatione cap. VI. Chrysostomus in verba Matth. *Non veni salvare justos.* Et sic plures alii. Sed qui doctrinam istam communem declarat, est Doctor Augustinus. Ipse enim in lib. de peccatorum meritis, et remissione cap. XXVI. in hoc maxime urget Pelagianos ad confitendum originale peccatum in omnes transfundi, quia Scriptura dicit, Christum venisse, ut opera diaboli destrueret. Quorsum ista ratio, si communis non fuisset sententia, quod, Adamo non peccante, Christus non venisset? Quippe Pelagiani respondere potuissent, Christum venire potuisse ad suam gloriam manifestandam, etiam non peccante Adamo. Quinimo hoc ipsum praedicat Ecclesia in Symbolo Nicaeno: *Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de Coelis: et incarnatus est.* Ergo dicendum etc.

243. Praecipuum Scoti argumentum contra hanc sententiam, est, quod supra §. 239. ex ratione Theologica desumptum est. Ad illud ergo ita respondemus. Utique libenter damus, finem Dei in mundi creatione fuisse manifestationem suae gloriae, et effusionem suae

bonitatis. Sed quod negamus est, id efficere potuisse omni meliori modo possibili. Et quidem, quia intrinsecus repugnat, dari posse plura entia Infinita, et Perfectissima, ideo quantumvis nitatur Dei Omnipotentia, nunquam infinitus esse potest effectus, sed semper finitus erit, et limitibus circumscriptus. Sed omni finito majus semper possibile est, et quidquid possibile est Dei subest Omnipotentiae. Ergo semper magis, atque magis Deus manifestare potest suam gloriam, et magis effundere bonitatem. Inde necessario sequitur, ut determinato, et finito modo ipse voluerit assequi exteriorem accidentalem gloriam, et communicare bonitatem. Et eo vel magis, quod creaturae, quia essentialiter finitae, repugnat ut adaequate cognoscant, et comprehendant infinitas Dei perfectiones, et modo infinito participent Divina bonitate. Non elaboramus accomodare hanc veritatem ad Scoti argumentum. Quisque videt, illud fuisse prorsus evacuatum.

244. Ad alterum autem, num scilicet Patres antiquae legis, et praesertim Sanctissima Virgo Maria, meruerint Divini Verbi Incarnationem; opus est, ut duplex distinguatur meritum: alterum scilicet, ut loquuntur Theologi, *de condigno*, et alterum *de congruo*. Illud est, cum ex justitiae rigore praemium, veluti justa merces, redditur. Dicitur autem *de congruo*, cum bonitate potius conferentis, quam merito accipientis, aliquod praemium dispensatur. Hac praenotata distinctione.

245. Quaeritur primo: num Sanctissima Virgo Maria, et SS. Patres antiquae legis, ex condigno meruerint Divini Verbi Incarnationem?

℟. negative. Et quidem Apostolus ad Titum cap. III. v. 4. scribit. *Cum autem benignitas, et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiae, quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam, salvos nos fecit.* Secundo. Nullum dari potest meritum *de condigno* pro supernaturali statu, sine gratia Christi. Ergo si Christi gratia est causa, et principium meritorum, unde merita in hominibus ad habendam gratiam? Nunquid effectus potest praecedere causam?

246. Quaeritur secundo: num merere potuerint *ex congruo*?

℟. Varia hac super re est sententia Theologorum. Nos autem opinamur, quod aliquo modo potuerint praebere Deo motivum, ut tanta misericordia, et bonitate uteretur erga nos. Et quidem in Genesi cap. XXII v. 16. Angelus Abrahae dixit. *Per memetipsum juravi, dicit Dominus: quia fecisti hanc rem, et non pepercisti Filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi ... Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae.* Quibus verbis communiter intelligitur promissio Incarnationis Divini Verbi. Et in Psal. CXXXI v. 20 habemus: *Propter David servum tuum non avertas faciem Christi tui. Juravit Dominus veritatem, et non frustrabitur eam. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Et hunc locum quoque Theologi interpretantur de Christo, qui venturus erat.

BREVIS DISSERTATIO

DE ADORATIONE SANCTORUM.

247. Sanctos veluti fideles Dei servos, et amicos a nobis venerandos esse, jam cecinit Propheta David psal. CXXVIII. v. 16. *Nimis honorificati sunt amici tui, Deus*. Et Ecclesia Christi, quae est columna, et firmamentum veritatis semper a sui primordiis venerata est, per ipsos ad Deum suas fudit preces, et in honorem habuit illorum imagines. At nescio quo inferni molimine nullum atrocius bellum fuit in Ecclesiam, quam illud contra Imagines Sanctorum, invocationem, et venerationem ipsorum. Persecutio incepit sub impiissimo, et crudelissimo Imperatore Leone Isaurico an. 726. Tanta fuit istius rabies contra Imagines Sanctorum, ut edictum pubblicaverit, quo omnes destruerentur, vivos propterea comburi jusserit duodecim sacrae doctrinae Professores, multos alios interfecerit, omnes subverterit Imagines, et in exilium miserit Gregorii II. Legatos, S. Germanus fuerit jugulatus, et Joanni Damasceno amputata fuerit manus. Mortuo Leone, ejus filius, et successor Constautinus Copronymus Patris impietati addidit, ut Sancti ne quidem invocarentur. Interim multae Synodi habitae fuerunt a Patriarchis Constantinopolis, Antiochiae, et Jerosolymae, in quibus Iconomachi proscripti fuerunt. Sed nihilominus persecutio non cessavit, donec, adjuvante Irene, Tharasius

Imperator obtinuit a Papa Adriano I. ut primum, et alterum celebraretur Concilium Nicaenum. In his, proscriptis omnibus illegitimis Synodis Iconomachorum, Ecclesiae pax restituta est. Sed imperscrutabili judicio Dei bellum contra Sanctorum Imagines renovatum fuit anno 814. a Leone Armeno Imperatore. Et idem, sed majori crudelitate, praestiterunt illius successores Michael Balbus, et Theophilus Michaelis filius. Sed tandem Dei misericordia anno 841; mortuo Theophilo, et Imperium regente Theodora illius conjuge, cum Filio Michaele, Imagines restitutae sunt, et adunato Concilio in urbe Constantinopoli, omnia ad pristinum statum redierunt.

248. Haec in Oriente. In Occidente autem eamdem impietatem sectatus est Claudius Tauriensis Episcopus, et post illum Albingenses, Viclefus, et majori acritate illius discipulus Hieronymus de Praga, et tandem Andreas Carolstaldius, Zuiglius, Calvinus, et inde protestantes omnes, praesertim Beausobrius; Middletonius, Gibbonius, et maxime Breckenridge Americanus.

249. Sed priusquam adversus recensiores omnes nostram instituamus disputationem, notandum primo, quod verbum *adorare* nunc communiter sumitur pro religioso cultu erga Deum, et Sanctos. Secundo, notandum etiam, quod duplex distinguitur adoratio, *Latriae* scilicet, et *duliae.* Illa debetur, et tribuitur soli Deo, uti perfectissimo, et Infinitae Majestatis: et altera tribuitur Creaturis, quae sanctitate refulgent, et sunt Deo carae. Et haec quidem vel est simplex *duliae*, quae respicit omnes, vel dicitur *hyperduliae*, idest supra,

quae debetur Beatissimae Virgini Mariae, propter suam supra omnes creaturas excellentem dignitatem, et Sanctitatem. Tertio notandum, quod adoratio vel est directa, cum respicimus propriam, et intrinsecam excellentiam, et meritum objecti, cui tribuitur adoratio. Et altera est indirecta, et relativa, cum scilicet persona, vel res, cui tribuitur, aliam repraesentat, quae tali, et majori honore digna est. Et sic colimus imagines Sanctorum, ut quae Sanctos nobis repraesentant: eodem ferme modo, quo majori honore, et civili cultu, quo per se digni sunt, prosequimur Legatos, et Ministros propter dignitatem Regis, quem repraesentant.

250. Hisce praenotatis, in quatuor brevissima capita praesentem dissertationem distribuimus. In I. tuebimur, quod debetur Sanctis religiosus cultus, et quidem *hyperduliae* Beatissimae Virgini Mariae, et *duliae* caeteris Sanctis in Coelo cum Deo beatis In II. sermo erit de invocatione Sanctorum, maxime Beatissimae Virginis. In III. disputabimus de cultu Reliquiarum. In IV. tandem retundere conabimur rabiem Iconomachorum contra Sacras Imagines.

CAPUT I.

Num, et quinam religiosus Cultus debeatur Sanctis.

251. Duo nobis in hoc priori capite praestanda sunt: scilicet, quod *hyperduliae* cultus exhibendus est Beatissimae semper Virgini Mariae, et *duliae* caeteris Sanctis. Sed quoniam hic agitur de cultu, qui tribuitur

creaturis ; et nemo dubitat, quin creatura quoque sit Christi humanitas, non abs re erit prius videre, num alia ratione in hoc negotio a creaturis excludi debeat, et *latriae* cultus ipsi debeatur. Itaque sit

PROPOSITIO XXX.

Christi humanitati laetitiae *cultus tribuendus est.*

252. *Prob.* breviter. Christus unus est, licet inconfusae, et non permixtae in ipso permanserint naturae Divina, et humana (prop. XIII. §. 156). Item, quia humana natura unione hypostatica assumpta est a Divino Verbo, unica persona est in Christo, et haec Divina (prop. XII. §. 138). Rursus, Christus est verus Filius Dei, et nullimode dici potest adoptivus (prop. IV. §. 39). Tandem, in Christo admittenda est communicatio idiomatum (prop. XXI. §. 127). Sed haec omnia clarissime evincunt veritatem nostrae thesis. Et quidem, si Christus ita unus est, ut nequidem respectu humanitatis dici possit Filius adoptivus, sed sit verus Filius Dei, quia humanitas in ipso non constituit personam, sed subsistit in Persona Divini Verbi. Ergo etiam quoad humanitatem illi debetur honor Divinus. Si honor, et cultus commensurari debet a dignitate personae, nulli dubium, quin *latriae* cultus debeatur humanitati Christi, cujus Persona est Divina. Et tandem propter communicationem idiomatum omnia, quae in Christo praedicantur de homine, recte praedicantur quoque de Deo, et vicissim : ergo si in Christo Deus dicitur homo, et homo dicitur Deus, honor quoque Divinus illi debetur.

253. Non desunt, qui distinctionem faciunt inter Christi humanitatem cum Divino Verbo unitam, et etiam abstracte consideratam veluti a Christo sejunctam. Sed superflua videtur haec distinctio, quoniam revera nullo modo separari potest.

PROPOSITIO XXXI.

Beatissima Virgo Maria cultu hyperduliae *veneranda est.*

254. *Prob.* Cultus *hyperduliae* est, qui tribuitur creaturae, quae honore, dignitate, et meritis super caeteras omnes eminet. Sed Beatissima Virgo vere longissime eminet super omnes creaturas et terrestres, et Caelestes honore, dignitate, et meritis. Ergo cultu *hyperduliae* veneranda est. *Prob. min.* Maria est vera Mater Dei (prop. VI. §. 60. Sed hoc honore, hac dignitate major nec dari, nec mente fingi potest. Ergo etc. Et idipsum dicendum est de illius meritis. Etenim merita praesertim commensurantur a gratia, et gratia confertur a Deo juxta munera, et dignitatem, cui destinat creaturas. Ergo si munus, et dignitas Mariae, scilicet, quod est vera Mater Dei, longissime excedit munera, et dignitatem omnium creaturarum, idipsum dicendum est de illius meritis. Et quidem Ecclesia, quae est columna veritatis, illam pubblice, et solemniter salutat Reginam non solum omnium Sanctorum, sed etiam Angelorum. Concludendum igitur etc.

PROPOSITIO XXXII.

Cultus duliae Angelis, et Sanctis praestitus non solum idolatrica superstitione caret, sed pius quoque est, et Deo acceptus.

255. *Prob. prima pars.* Tunc habetur idolatria, cum *latriae* cultus, qui soli Deo omnium Creatori debetur, creaturis adhibetur, ita ut aliquid directe ab illis speremus, aut absolutos aliquarum rerum, aut gratiarum Dominos, et per se dispensatores, existimamus. Sed nihil ex his rebus verum est in cultu *duliae*, quo veneramur Angelos, et Sanctos, quoniam ita non Deos, sed creaturas illos existimamus. Deinde, si patrocinium, aut aliquam gratiam inde speramus, non speramus directe ab ipsis, sed a solo Deo veluti unico Domino omnium, licet per merita, et intercessionem illorum. Quinimo cultus iste adhibetur Angelis, et Sanctis, quatenus sunt fideles servi Dei, Deum perfecte amant, et veluti facti amici ejus, caelesti gloria apud illum fruuntur. Quapropter noster cultus pro ultimo fine respicit Deum: et eo vel magis, quod scimus, quoniam Deus est mirabilis in Sanctis suis. Cum ergo *duliae* cultus respiciat Angelos, et Sanctos potius ut Dei servos, et nostros apud illum patronos, et intercessores, non vero ut veros Dominos, liber dicendus est ab omni idolatrica superstitione.

256. *Prob. secunda pars.* Num. cap. XXII. v. 31. habemus, quod Propheta Balaam adoravit Ange-

lum. Hoc ipsum fecit Abraham Gen. cap. XVIII. v. 2, et sic multi alii in veteri testamento. Ergo non improbat Deus, sed amat potius, ut *duliae* cultus praestetur servis suis. Et quidem nonne legimus in *psal.* CXXXVIII. v. 17. *Nimis honorificati sunt amici tui, Deus?* Sed a quo honorificati, nisi a Deo? Nunquid ergo non pium, et Deo acceptum dicemus convenienti cultu venerari Angelos, et Sanctos, quos Deus ipse honorificat ut amicos?

257. Sed haec ipsa veritas invicte comprobatur ex infallibili auctoritate universae Ecclesiae, non solum quia semper a suis usque exordiis Angelos, et Sanctos *duliae* cultu venerata est, ut praesertim manifestum est ex templis in illorum honorem aedificatis; ex diebus festis, ex Officio, Missa, orationibus etc. pro illorum cultu ordinatis; sed maxime etiam quia sic infallibiliter in multis generalibus Conciliis congregata sic sub statutis poenis declaravit, et sancivit, maxime in Concilio Tridentino, ut videre est Sess. XXV. in toto decreto *de invocatione, veneratione, et reliquiis Sanctorum, et Sacris Imaginibus.*

258. Et merito quidem; quoniam haec est doctrina Sanctorum Patrum; quam Concilia sequuntur. Itaque S. Justinus Apol. II. scribit de Angelis, et Prophetis: *Exercitum Angelorum, et Spiritum Prophetarum colimus.* S. Gregorius Nyssenus in orat. de S. Theodoro Martyre ait: *Nos non Deos factos esse dicimus Sanctos Martyres, sed omni honore dignari consuevimus.* S. Augustinus serm. I. de SS. Petro, et Paulo dicit: *Beatissimum Petrum piscatorem modo, geni-*

bus provolutis, *adorat gentium multitudo*. Et sic multi alii, praesertim Ambrosius serm. XIV. de SS. Nazario, et Celso. Ergo Angelorum, et SS. cultus non solum idolatrica superstitione liber est, sed etiam est pius, et Deo acceptus.

Solvuntur nonnullae objectiones.

259. Varia congerunt Adversarii Sacrarum Scripturarum testimonia adversus cultum Sanctorum. Et quidem I. objiciunt praeceptum Dei Deuteron. cap. VI. v. 13. *Dominum timebis*, *et illi soli servies*, *ac per nomen illius jurabis*. Ergo si soli Deo servire debemus, non licet tribuere Angelis, et Sanctis *duliae* cultum, quia licet inferior ipse sit cultu *latriae*, semper tamen est actus famulatus, et servitutis. II. Et hoc ipsum praecisis verbis docuit ipse Christus dicens (Matth. cap. IV. v. 10): *Dominum Deum adorabis*, *et illi soli servies*. III. Et propterea Apocaly. cap. XIX. v. 10. Angelus recusavit adorationem Joannis, dicens: *Vide*, *ne feceris*, *conservus tuus sum* . . . *Deum adora*.

R). Parvi momenti haec sunt, et similia, quae adduci solent ab haereticis. Etenim cum dicimus: colendos esse Angelos, et Sanctos, non intelligimus venerandos esse cultu summo, seu *latriae*, qui soli Deo debetur, nec cultu absoluto: bene vero *duliae*, qui omnino diversus est, et creaturis dignus. Quinimo his vocabulis utimur propter deficientiam vocum ad utrumque cultum designandum, ut monuit Doctor Augustinus lib. XX. contra Faustum cap. II. Et item fine

ultimo in Angelis, et Sanctis intelligimus adorare ipsum Deum, qui illos caelesti gloria donavit. Ergo Deuter. verba intelligenda sunt de cultu *latriae*, et absoluto, non vero *duliae*, et relativo. Et hoc in sensu quoque Christus protulit Tentatori allata verba Matth. Ad ultimum respondet S. Gregorius in hom. in Evangelia: scilicet Angelum recusasse adorationem Joannis, ut illum doceret, quanta erat dignitas Christi discipulorum.

CAPUT II.

De invocatione Sanctorum.

260. Quasi invocatio Sanctorum illos Dominos declaret gratiarum, quas per eorumdem intercessionem ab uno Deo petimus, et speramus, aut eo sensu eosdem mediatores demonstret inter Deum, et homines, ut inde injuriam faciat Christo Redemptori, qui solus mediator est inter nos, et Deum; aut quasi nihil amplius curent, vel prorsus ignorent Sancti, quae fiunt in hoc mundo: idcirco Protestantes Sanctorum invocationem prorsus rejiciunt, et insectantur veluti idolatricam in Deum, injuriosam in Christum, et vanam, ac inutilem nobis. Ut ergo de suo errore, et calumnia redarguamus, sit

PROPOSITIO XXXIII.

Juxta Catholicae Ecclesiae doctrinam invocatio Sanctorum nihil prorsus sapit de idolatria in Deum, nihil injuriae in Christum, et utilis est nobis.

261. *Prob.* Invocatio Sanctorum juxta doctrinam Catholicae Ecclesiae nihil idolatriae in Deum, et nihil injuriae in Christum sapit, si cum ista invocatione Ecclesia non respiciat Sanctos, veluti gratiarum Dominos, et per se dispensatores, sed solum ut intercessores apud Deum unicum Dominum gratiarum, et donorum: et item non illos credit, veluti mediatores, sponsores, et pro nobis satisfacientes Divinae Justitiae, sicuti est Christus; sed solum veluti deprecatores, et quidem non solum apud Deum Patrem, sed etiam apud verum Mediatorem Christum Deum simul, et hominem. Sed res ita se habet. Ergo etc. *Prob. min.* Doctrina Ecclesiae Catholicae eadem est, ac doctrina Conciliorum Oecumenicorum. Sed Concilia Oecumenica, maxime Nicaenum secundum, et Tridentinum, docent, et praecipiunt cultum, et invocationem Sanctorum eodem prorsus modo, ac dictum est. Ergo etc. Et quidem, ut brevitati consulamus, omissis decretis Romanorum Pontificum, et etiam Concilii Nicaeni secundi, sic rem declarant Patres Tridentinae Synodi in supradicto decreto de invocatione etc. Sanctorum. *Mandat S. Synodus omnibus Episcopis, et caeteris docendi munus curamque sustinentibus, ut juxta Catholicae, et A-*

postolicae Ecclesiae usum, a primaevis Christianae Religionis temporibus receptum, Sanctorumque Patrum consensionem, et Sanctorum Conciliorum decreta, in primis de Sanctorum intercessione, invocatione, Reliquiarum honore, et legitimo imaginum usu fideles diligenter instruant, docentes eos, una cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre; bonum, atque utile esse suppliciter eos invocare, et ob beneficia impetranda a Deo per Filium ejus Jesum Christum, Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor, et Salvator est, ad eorum orationem, opem, auxiliumque confugere etc. Quid clarius desiderari potest pro veritate nostrae thesis, et ad declarandam manifestam calumniam Heterodoxorum? Etsi enim eo usque temeritatis deveniant Novatores, ut negent Synodis Generalibus plenum jus declarandi, proponendi, et praecipiendi, quae ad fidem, et mores pertinent, in hoc tamen negotio nullimode fas est dubitare, quin doctrina Catholicae Ecclesiae de invocatione Sanctorum eadem prorsus sit, ac illa, quam Concilia Generalia docent, et praecipiunt. Sed in allato decreto praecisis verbis dicitur, quod Sancti suas orationes Deo offerunt, non vero quod ipsi gratiam impertiuntur; quod beneficia non impetramus a Sanctis, sed a Deo, et quidem per Filium ejus Christum Jesum, qui solus noster Salvator est, et Mediator. Ergo ex doctrina Catholicae Ecclesiae utilis est invocatio Sanctorum, ut facilius intercessione ipsorum impetremus a Deo gratias per unum verum Mediatorem satisfacientem Jesum Christum. Ergo nihil prorsus ido-

latriae redolet hujusmodi invocatio adversus Deum, et nihil injuriae erga Mediatorem Christum. Quinimo magis indicat Dei absolutum dominium super omnia, quoniam etiam Sancti illum pro nobis orant, et deprecantur; et magis auget gloriam Christi Redemptoris, quia Sanctis deprecantibus, Mediatoris officium exercet.

262. Et inde patet quoque, quod perutilis est nobis haec ipsa invocatio. Et id non ea sola ratione, quod gratiae facilius impetrantur, cum per amicos, et Deo caros illas petimus; sed maxime quia sic recognoscentes nostram indignitatem, humilitatis virtutem exercemus, quae maxime placet Deo. Concludendum igitur etc.

Resolvitur unica Heterodoxorum difficultas

263. Quae multa a Novatoribus objici solent libenter omittimus, quia omnia tendunt ad confirmandam calumniam, quae dissipata a nobis est, scilicet quod invocatio Sanctorum sapit idolatriae erga Deum, et injuriae erga Christum unicum Mediatorem inter homines, et Deum, unum aliud superesse videtur, idest, quod scire non possunt Sancti nostras orationes et invocationes, nec amplius ulla cura ipsis est de hoc mundo. Et id confirmare praesumunt ex Isaia cap. LXIII. v. 16. *Abraham nescivit nos, et Israel ignoravit nos.* Et Ecclesiaste cap. IX. v. 5. *Mortui vero nihil noverunt amplius.*

Ad Isaiae verba respondemus cum Jacobo Tirino in hunc locum, quod *Abraham nescivit nos, et Israel*

ignoravit nos, idem est, ac si dicat, non curat nos, sed sprevit, et abiicit nos, offensus est nobis, quia nos te offendimus. Et hanc dicit esse sententiam S. Hieronymi, Cyrilli, Theodoreti, et aliorum SS. Patrum. Et quidem etiam verba Matth. cap. XXV. v. 12. *Nescio vos*, exponuntur, *non curo vos*. Unde subjungit, quod Calvinus ipse ingenue fatetur, ex hoc loco elici non posse, Sanctos vita functos nostri curam non habere. Et similiter explicantur verba Ecclesiastes, quod scilicet mortui non amplius curant res mundanas, sed solum quae sunt caelestia, ita ut nihil amplius turbet illos a fruitione, et amore Dei. Nec impedit, quominus cognoscant res mundanas ex quo corpus non habent nec sunt in mundo, quia ut dicit Divus Thomas, cognoscere possunt per Dei revelationem. Caeterum, quid est videre, audire etc. hominum viatorum, nisi minus quam per speculum, et enigma cognoscere res extra nos positas? Quippe certum est, quod nos non immediate objecta externa videmus, et cognoscimus, sed solum ex effectibus illorum; scilicet ex mutatione, quam in nostro cerebro producunt externa irritatione in organis sensoriis, et inde motu fluidi nervosi. Certe princeps animae facultas est illa cognoscendi. Et quia est substantia spiritualis, ipsa non dicit relationem coexistentiae, et consequenter non est in loco proprie dicto, uti sunt corpora. Ergo ubi vult Deus, potest directe cognoscere res, et multo meliori modo, quam nos cognoscimus nunc in cerebro. Et propterea, non exclusis aliis rationibus, David rogabat Deum, ut educeret de custodia animam suam; quia reipsa, veluti qui in car-

cere detinentur, non per se, sed per relationem aliorum res, et facta cognoscunt, sic animae dum sunt in corpore, externorum objectorum habent notitiam.

CAPUT III.

De Cultu Reliquiarum.

264. Jam quisque per se videt, quod non agitur hic de cultu primario, et absoluto, sed de secundario, et relativo, ut tertio loco notavimus (§. 249). Ergo cum dicimus, Reliquias Sanctorum colendas esse, hujusmodi cultum immediate referimus ad Sanctos, quorum memoriam in nobis Reliquiae excitant: et fine ultimo referimus ad Deum omnis Sanctitatis auctorem, quem in Sanctis suis adoramus, et deprecamur. Monemus tamen, quod duplicis generis sunt Sanctorum Reliquiae, aliae, quae ad illorum personam proprie pertinebant, uti sunt corpora vel integra, vel pars illorum, ossa, sanguis, cineres etc.; et haec quidem dicuntur insignes, si sunt aliquod integrum; vel quasi integrum corporis membrum, ut caput, brachium, aut manus, pes etc, et non dicuntur insignes si sunt minutae partes ossium, cineres etc. Alterius autem generis Reliquiae sunt omnia, quae exterius ad Sanctos pertinebant, uti vestes, et etiam loca, vel res quaecumque. Hoc in sensu itaque contra Protestantes, qui nos propterea superstitiosos appellant, sit

PROPOSITIO XXXIV.

Veneratio Reliquiarum, quae ad fidem catholicam pertinet, utilis nobis est, et omni superstitione immunis.

265. *Prob.* I. ex veteri testamento. Exodi cap. XIII. v. 19: habemus, quod Moyses exiens ex Ægypto duxit cum populo ossa Joseph. Ad quid impedimentum istud, nisi quia in magna veneratione illa habebant, et simul utilia existimabant ad facilius impetrandum a Deo auxilium? In lib. IV. Regum cap. XIII. v. 21 legimus: *Quidam autem sepelientes hominem viderunt latrunculos, et projecerunt cadaver in sepulchro Elisei. Quod cum tetigisset ossa Elisei, revixit homo.* Ad quid tantum miraculum a Deo, nisi in honorem sui fidelis servi, et in gratiam aliorum? Et Ecclesiastici XLIX. v. 18 de Patriarcha Joseph habemus: *Ossa ipsius visitata sunt, et post mortem prophetaverunt.* Si visitata; ergo in veneratione asservabantur: si prophetarunt; in bonum utique populi Israelitici prophetarunt.

266. Idipsum habemus ex novo testamento. Etenim Actor. cap. V. v. 15. Scriptum est de Petro Principe Apostolorum. *Ita et in plateas ejicerent infirmos, et ponerent in lectulis, et grabatis, ut, veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, et liberarentur ab infirmitatibus suis.* Et ibidem cap. XIX. v. 12 legitur. *Ita ut etiam super*

languidos deferrentur a corpore ejus (Pauli) *sudaria, et semicinctia, et recedebant ab eis languores et spiritus nequam egrediebantur.* Si ergo ad solam Petri umbram, si ad sudaria Apostoli tanta mirabilia operatus est Deus, nobis non licet, fore ut similiter gratias impetremus a Deo, quoties devote veneramur Reliquias Sanctorum? Ergo utilis nobis est ipsas Reliquias venerari. Et quoniam a tempore usque Apostolorum, et ipsis quidem non reprobantibus, id in usu fuit, quis erit adeo temerarius, qui superstitiosam dicat hujusmodi venerationem?

267. Haec ipsa veritas invictissime confirmatur ex quo Ecclesia a suis primordiis semper usque ad praesens Sanctorum Reliquias in honorem, et venerationem habuit. Hoc ipsum SS. Patres unanimiter docent, quorum nonnullos innuimus, nempe Gregorium Nyssenum orat. de septuaginta Martyribus, Gregorium Nazianzenum orat. 3. contra Julianum, Chrysostomum orat. de S. Ignatio Martyre, Theodoretum serm. adversus Graecos, Hieronymum Epist. 53. ad Riparium, Ambrosium, et Augustinum lib. IX. confess. cap. VII.

268. Sed rem ad fidem Catholicam pertinentem maxime faciunt decreta Conciliorum. Et quidem, omisso Constantiense V., in quo can. IV. sancitum fuit, ne construantur, et consacrentur Altaria sine Reliquiis Sanctorum Martyrum, quod religiose servatur ab Ecclesia; Concilium generale VII., idest Nicaenum II. adunatum sub Adriano primo R. P. adversus Iconoclastas act. tertia definivit, quod per Reliquias Sanctorum multa a Deo impetrantur beneficia: et item sancivit, ut illudentes, si

sint Episcopi deponantur, si vero Monachi, aut laici, priventur communione. Concilium autem Tridentinum sic rem declarat in supradicto decreto de invocatione, veneratione, et Reliquiis Sanctorum Sess. XXV. *Sanctorum quoque Martyrum, et aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quae viva membra fuerunt Christi, et templum Spiritus S. . . a fidelibus veneranda esse, per quae multa beneficia a Deo hominibus praestantur: ita ut affirmantes Sanctorum Reliquiis venerationem, atque honorem non deberi; vel eas, aliaque sacra monumenta a fidelibus inutiliter honorari; atque eorum opis impetrandae causa Sanctorum memorias frustra frequentari, omnino nunc etiam damnat Ecclesia.*

Solvuntur Objectiones.

269. Multa objici solent ab Haereticis Protestantibus. Et quidem I. dicunt. Deus abscondit corpus Moysis: etenim Deut. cap. ultimo v. 6. legimus. *Et sepelivit eum in valle Terrae Moab contra Phogor: et non cognovit homo sepulcrum ejus usque in praesentem diem.* Qua de causa? Profecto ne populus Israeliticus illud veneraretur. Ergo reprobat Deus venerationem Reliquiarum. II. Matth. cap. XXIII. v. 29. Christus exprobavit Pharisaeis monumenta Prophetarum, dicens: *Vae vobis, Scribae, et Pharisaei hypocritae, qui aedificatis sepulcra Prophetarum, et ornatis monumenta justorum.* III. Abhorret a recta ratione venerari, et aliquo religionis cultu prosequi res

inertes, et materiales, uti sunt ossa, cineres etc. Sanctorum. Ergo etc. IV. tandem: et id eo vel magis, quod saepe vel fraude, vel errore, quae venerationi exponuntur, non sunt verae Reliquiae Sanctorum.

℟. Et quidem ad primum dicimus, quod ignoramus, quo sapientissimo consilio voluerit Deus, ut in occulto remaneret corpus sui dilecti servi Moysis. Probabile tamen videtur id fecisse ob periculum, ne Israelitae ad idolatriam proclives, illud cultu latriae venerarentur.

Ad secundum patet responsio tam ex citatis Christi verbis, quibus vocat Pharisaeos hypocritas, quam ex subsequentibus. *Et dicitis: Si fuissemus in diebus Patrum nostrum, non essemus socii eorum in sanguine Prophetarum. Itaque testimonia estis, quia filii estis eorum, qui Prophetas occiderunt. Et vos implete mensuram patrum vestrorum. Serpentes genimina viperarum quomodo fugietis a judicio gehennae?* Ergo non exprobavit Christus Pharisaeis venerationem sepulchrorum Prophetarum, sed potius illorum hypocrisim, et cor perversum, ut qui parati erant sequi exemplum patrum suorum, et implere mensuram illorum impietatis, meditantes interficere Messiam, de quo locuti fuerant Prophetae: *Implete mensuram patrum vestrorum.*

Ad tertium respondemus, quod Catholici venerando Reliquias Sanctorum, non illis exhibent cultum absolutum, et directum, sed relativum. Etenim illorum animus est venerari Sanctos, quorum sunt Reliquiae, et in Sanctis pro ultimo fine adorare Deum.

Ad quartum: bene cautum est ab Ecclesia, quomo-

do error, aut impostura vitari possit. Sed in hypotesi, quod nihilominus locum habeat error; nihil inde detrimenti affertur cultui religioso, quoniam ipse non est absolutus, sed relativus, quapropter superstitio isthaec non erit formalis, sed materialis, uti loquuntur Scholastici.

CAPUT IV.

De cultu Sanctorum Imaginum.

270. Uti animadvertit clariss. Cajetanus de Fulgure cap. VII. de cultu sacrarum Imaginum, sedulo hac in re distinguenda est doctrina Ecclesiae ab ejus disciplina, et opinionibus Theologorum. Nos semper institutionis brevitatem sectantes, de illa solum, uti quae ad fidem catholicam pertinet, verba faciemus, parum, vel nihil quasi solliciti de aliis: semper tamen monentes, quod loquimur de cultu relativo, non vero absoluto. Itaque sit

PROPOSITIO XXXV.

Non solum licitum est, sed pium quoque habere Sanctas Imagines, et illas relativo cultu venerari.

271. *Prob.* I. ex sacra Scriptura Josue cap. VII. v. 6. habemus. *Josue vero scidit vestimenta sua, et pronus cecidit in terram coram Arca Domini, usque ad vesperam, tam ipse, quam omnes senes*

Israel. Sed Arca praeseferebat symbolum Dei. Ergo licet habere, et venerari respectivo cultu imagines Christi, qui est Deus, et homo. Dixi imagines Christi, et non Dei simpliciter, quia etsi anno 1690. damnata sit propositio, *Dei Patris simulacrum nefas est in templo collocari*; attamen varia de hoc fuit Ecclesiae disciplina. Quod certum videtur, per novem priora saecula nulla Dei, et SS. Trinitatis imago formata fuit, sive quia invisibilis, et incomprehensibilis est Natura Dei, sive ne videretur confirmari haeresis Antropomorphitarum. Item Numer. cap. XXI. v. 8. Moyses jussu Dei fecit serpentem aeneum, et posuit *eum pro signo*: *qui percussus aspexerit eum*, *vivet*. Sed Christus ipse Joann. cap. III. v. 14. declarat, serpentem illum fuisse signum sui ipsius in crucem sublati: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto: ita exaltari oportet Filium hominis*. De Angelis autem Deus Exodi cap. XXV. v. 18. jussit, extrui duos Cherubim aureos ex utraque parte tabernaculi, et super Arcam testimonii: *Duos quoque Cherubim aureos*, *et productiles facies ex utraque parte oraculi*, *Cherubim unus sit in latere uno*, *et alter in altero*. Ergo similiter licet habere, et venerari imagines Angelorum. Quod ad imagines Sanctorum pertinet, praesertim Beatissimae Virginis Mariae, praeter communem doctrinam SS. Patrum, et praxim Ecclesiae, plura Concilia Oecumenica hanc veritatem, ut ad fidem catholicam spectantem declaraverunt. Sic Concilium Nicaenum II. adunatum contra Iconomachos an. D. 781. Sub Adriano primo R. P., postulante Irene, act. VII. dicit: *Definimus*

sicut figuram pretiosae, et vivificae Crucis, ita venerabiles, et sanctas Imagines proponendas . . . tam videlicet Imaginem Domini Dei, et Salvatoris Jesu Christi, quam intemeratae Dominae Sanctae Dei Genitricis, honorabilium Angelorum, et omnium Sanctorum, simul et almorum virorum . . . ad primitivorum memoriam, et desiderium, et ad osculum, et ad honorariam iis adorationem tribuendam: non tamen ad veram latriam . . . Imaginis enim honor ad primitivum transit, et qui adorat Imaginem, adorat in ea depicti subsistentiam. Et item sic suis anathematismis perstringit Iconomachos. Anath. I. *Venerandas Imagines veneramur. Qui sic non credunt, longe ab Ecclesia abjiciantur.* Anath. II. *Nos venerandas Imagines salutamus. Nos, qui sic nolunt, anathemati subjicimus.* Anath. III. *Qui sacras Imagines idola vocant, anathema.* Anath. IV. *Qui communionem habent cum iis, qui sanctas Imagines rejiciunt, aut contemnunt, anathema.* Hoc ipsum definivit octavum Concilium Oecumenicum, scilicet Constantinopolitanum quartum habitum an. D. 870. sub Adriano II. R. P. act. X. can. 3. Et tandem Concilium Tridentinum in eodem supradicto decreto *de invocatione, veneratione, et Reliquiis Sanctorum, et sacris Imaginibus* sess. XXV. ubi sic loquuntur Patres: *Imagines porro Christi, Deiparae Virginis, et aliorum Sanctorum, in templis praesertim habendas, et retinendas, eisque debitum honorem, et venerationem impertiendam, non quod credatur inesse aliqua in iis Divinitas, vel virtus, pro-*

pter quam sint colendae ; vel quod ab eis sit aliquid petendum , vel quod fiducia in Imaginibus sit figenda , veluti olim fiebat a Gentibus , quae in idolis spem suam collocabant : sed quoniam honos, qui eis exhibetur , refertur ad prototypa, quae illae repraesentant ; ita ut per Imagines , quas osculamur , et coram quibus caput aperimus, et procumbimus , Christum adoremus ; et Sanctos , quorum illae similitudinem gerunt, veneremur ; id quod Conciliorum , praesertim vero secundae Nicaenae Synodi decretis contra Imaginum oppugnatores est sancitum. Ergo. etc.

Solvuntur Objectiones.

272. Innumera ferme ab Haereticis Iconomochis congeruntur adversus Catholicam doctrinam de cultu Imaginum Sanctorum. Et ipsa quidem petuntur a quovis loco , unde Theologi sua desumunt argumenta. Scilicet. I. ex Sacra Scriptura. II. Ex doctrina SS. Patrum. III. Ex antiqua disciplina Ecclesiae trium nempe priorum Saeculorum , quasi inde deduci possit favens ipsis Divina Apostolica Traditio. IV. Ex Concilio Francofurtense. V. Ex libris Carolinis. Et inde VI. ex doctrina Ecclesiae Gallicanae. Solvuntur itaque

Argumenta ex S. Scriptura.

273. Exodi cap. XX. v. 4. Deus hoc dedit praeceptum populo Israelitico : *Non facies tibi sculptile , neque*

omnem similitudinem, quae est in Coelo desuper, et quae in terra deorsum, nec eorum, quae sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque coles. Et id confirmatur in aliis locis, maxime Levit. cap. XXVI v. 1. Sed hujusmodi praecepto nihil derogari potuit per legem Evangelicam, quoniam pertinet ad legem Divinam naturalem. Ergo viget integrum apud nos Christianos. Et propterea nefas nobis est habere, et colere quascumque Imagines. Et multo magis nefas est incensum coram illis adolere, ut fieri videmus, et etiam in templis, et super altare. Nam lib. IV. Regum cap. VIII. v. 4 habemus, quod Ezechias utique pietate eximius: *Dissipavit excelsa, et contrivit statuas, et succidit lucos, confregitque serpentem aeneum, quem fecerat Moyses; siquidem usque ad illud tempus Filii Israel adolebant ei incensum.* Si hoc de serpente, qui jussu Dei formatus fuerat, et praefigurabat Christum in Cruce sublatum, quomodo non impium erit incensum adolere imaginibus, quae repraesentant Sanctos?

℟. Ad primum dicimus, quod ex contextu clare patet, Deum vetasse populo Israelitico omne sculptile, et imagines idolorum, et rerum, quae ab illo pro Deo adorari potuissent vero, et summo cultu, scilicet *latriae*, ad quem pronus erat ille populus. Etenim verba in objectione allata unum, et idem praeceptum constituunt de uno Deo colendo, alioquin ut observat Eruditiss. Joannes Perrone tract. de cult. Sanct. §. 112, non decem, sed undecim essent Decalogi praecepta. Et quidem integer textus sic se habet; *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de do-*

mo servitutis. Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem . . . Non adorabis ea, neque coles: Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes etc.

Quis hic non videt prohiberi verum cultum *latriae* idolis, et creaturis? Et id inviete confirmatur ex quo Deus ipse praecepit fieri Arcam, et duos Cherubim; et serpentem aeneum, ut supra diximus, et probavit cultum respectivum, non vero absolutum, illis tribui. Ne ergo dicamus, eadem a Deo modo praecipi, et modo vetari, fatendum est, allata verba Exodi intelligenda esse de vero cultu *latriae*, qui ex primo praecepto legis Divinae naturalis uni Deo debetur.

Ad factum vero Ezechiae lib. IV. Regum cap. XVIII. in confirmationem allatum ab Iconoclastis, dicimus, quod optime se gessit Ezechias confringendo statuas, et etiam serpentem aeneum, quamvis a Moyse factum. Etenim Israelitae illa omnia colebant more Gentium, et cultu *latriae*. Et patet ex quo adolebant etiam incensum, id quod in veteri lege nonnisi soli Deo fiebat uti soli, et absoluto Domino omnium. Sed quoniam in lege Evangelica incensum non solum denotat cultum *latriae*, sed quemcumque alium, etiam civilem, idcirco apud Catholicos adhibetur Deo, Sanctis, Sacerdotibus, et etiam laicis primatibus.

274. Ut aliis hujus generis objectionibus facilius respondeatur, juvat notare eum Damasceno lib. IV. de fid. cap. XVII. apud clariss. Cajetanum de Fulgure de cultu et inv. Sanct. I. R. ad ob. in prop. III; quod praeceptum Exodi cap. XX. *Non facies* etc. sub duplici

aspectu considerari potest, ut scilicet naturale Divinum, cum refertur ad cultum *latriae*, qui soli Deo debetur, et ut caeremoniale, cum refertur ad cultum inferiorem, et relativum. Illud sine dubitatione commune est judaeis et nobis, et nullimode nec suspendi, nec dispensari potest: hoc autem, ut ad disciplinam potius Ecclesiae pertinens, juxta prudentiae leges et praecipi, ac suspendi, et etiam vetari potest. Et sic, quia proni erant Israelitae ad idolatriam, prudentissime egit Ezechias confrigendo statuas, et etiam illum ipsum serpentem aeneum, quem in diversis circumstantiis Deus per Moysem praeceperat. Ergo in potestate erat Synagogae praecipere, uti fecit de aedificatione Arcae, et serpentis aenei, et vetare, et destruere, ut fecit Ezechias: et in potestate quoque Christi Ecclesiae est idipsum facere circa cultum inferiorem, et relativum, qui ad caeremonias potius, et ad disciplinam pertinet. Et haec est ratio, cur in tribus prioribus Ecclesiae saeculis non publice exponebantur, et colebantur imagines, et, praeter alias rationes, veteres Patres videntur quasi reprobare. Quis negabit, minus malum bonum esse ad vitandum majus?

Solvuntur objectiones ex Patribus.

275. Ad suam barbaram impietatem cohonestandam contra sacras Imagines rebelles Novatores, multos, praesertim antiquiores, adducunt Patres, qui illas videntur reprobare. Et quidem dicunt, in tribus prioribus saeculis nullus invenitur, qui mentionem faciat de Imaginibus. Ergo omnes illius temporis Patres contra

sensiebant. II. Sed et multi, praesertim Irenaeus, qui floruit sub finem saeculi secundi in lib. 1 contra haereses cap. XXIV. Epiphanius in *pannurio* haeres. XXVI. male sentit de Imaginibus : et adeo quidem, ut quemadmodum habemus ex Epist. ad Joannem Episc. Jerosol. sciderit velum, quod pendebat ante fores Ecclesiae Anablatensis, propterea quod in illo depicta erat imago *quasi Christi*, *vel Sancti cujusdam.* Et quod majus Papa Gregorius Magnus in Epist. ad Serenum probat illius zelum, dicens : *ne quid manufactum adorari possit.* Æque ac Irenaeus, et Epiphanius, Sanctus Augustinus in lib. de Haeres. VII. exprobat Haereticis Gnosticis, et Carpocratianis Imaginum venerationem. Et lib. I. de moribus Ecclesiae cap. XXXIV. ut refert Ant. Bouc. disser. V. tom. I. pag. 429, scribit : *Nolite consectari turbas imperitorum, qui vel in ipsa vera Religione superstitiosissimi sunt...Novi multos sepulchrorum, et picturarum adoratores.* Et sic plurimi alii. Quod si non licet recedere ex doctrina SS. Patrum, et maxime vetustiorum, ex quibus cognoscere possumus veram Dei doctrinam voce traditam, quomodo, veluti ad fidem spectantem admittere poterimus venerationem Imaginem, quam veteres Ecclesiae Patres reprobarunt ?

℟. Jam diximus, quod cultus Sanctorum, et imaginum, qui non est directus, et absolutus, sed indirectus, et relativus, ipse potius pertinet ad disciplinam, quam ad princeps, et essentiale praeceptum Divinae legis naturae de solo Deo adorando vero cultu *latriae.* Ergo sub potestate Ecclesiae est, juxta pru-

dentiae leges illum adhibere, et non adhibere, praecipere etiam, aut vetare, et praescribere modum, quo servari debet; sicuti quoque factum legimus in veteri lege, praesertim de serpente aeneo. Et quoniam malum est bonum illud, quod vel majus malum inducit, vel privat majori bono; idcirco cultus relativus Imaginum, etsi per se bonus sit, potest evadere verum malum, si aut majus bonum impedit, uti est directus *latriae* cultus erga Deum, aut maximum inducit malum, uti est idolatria. In hoc discrimine reperiebatur Ecclesia in prioribus saeculis; et aliquoties fuit in posterioribus. Constabat Ecclesia ex Judaeis, et Gentilibus. Et quoniam cultus Imaginum potuisset esse scandalo Judaeis existimando, se transisse ad cultum idolatricum Gentilium, et periculo Gentibus, ne crederent, se ab uno in alium similem errorem transisse, ideo Ecclesia prudentissime non praecepit publicum cultum Imaginum, et nec prohibuit, nec probavit. Quod si addatur, hujusmodi cultum certo praebuisse occasionem majoris persecutionis, tunc magis apparebit Ecclesiae prudentia. Si haec in causa fuerunt, cur sic se gessit Ecclesia in prioribus saeculis, non mirum, si antiquiores Patres aut omnino siluerint de hujusmodi cultu, aut videantur reprobare, veluti contra actualem Ecclesiae Oeconomiam. Et haec universalis responsio sufficere potest quibuscumque aliis objectionibus desumptis aut ab antiqua Ecclesiae disciplina, aut a Sanctis Patribus; si tamen addatur, quod saepe Patres exprobarunt non debitum cultum relativum, sed abusum, superstitionem, et eccedentes commessationes, et alia illicita, quae inde exercebantur, et utinam modo quoque non exercerentur.

Ad Ireneum, et alios, praesertim Augustinum in citato loco, qui omnes Gnosticis, et Carpocratianis exprobarunt venerationem Imaginum, dicimus, quod non improbarunt hujusmodi venerationem, uti est in se et nos cum Ecclesia Catholica defendimus, sed superstitiosam; idolatricam, et Sanctis injuriosam. Quippe, ut habemus ex S. Epiphanio Haeres. XXVII. n. 6. recensit Haeretici simul cum Imaginibus Christi, et Apostolorum servabant et confundebant imagines Homeri, Pythagorae, Aristotelis etc., quod injuriosum est. Et item Imagines illas colebant sacrificiis, quod sapit veram idolatriam.

Quoad factum Epiphanii, qui scidit velum etc. cum ignotae nobis sint circumstantiae, cur id fecit, dicimus, quod fortasse fecit, quia nondum apud Cyprios receptus fuerat usus Imaginum, quapropter zelare credidit morem Ecclesiae; aut forsan existimavit, injuriosam esse Christo expositionem illius generis.

Ad Augustinum dicimus, quod in adducto loco solum insectatur abusum eorum, qui alia prorsus, quam Religionis, et venerationis causa, pergebant ad Sepulchra. Multi enim credebant, animas defunctorum volitare circa sepulchra, comedere, et bibere: et propterea illic ipsi quasi socii comedebant, et bibebant. Id patet ex ipsis S. Doctoris verbis, maxime ex illis, quae sequuntur: *Novi multos, qui luxuriosissime super mortuos bibant.*

Objectiones ex antiqua Ecclesiae disciplina.

276. Certum est, dicunt Novatores, nullum fuisse Imaginum usum in prioribus Ecclesiae saeculis. Quomodo ergo ex novo proponitur, et etiam anathema minitatur illis, qui contra sensiunt? Nunquid post saecula innotuit hac super se Divina Apostolica Traditio, quoniam Scriptura silet, et potius rejicere videtur? II. Sed non solum negative se gessit Ecclesia antiquior in hoc negotio; sed positive reprobasse apparet, ex quo Gregorius Magnus, qui ut supremum caput illam regebat, probavit zelum Epiphanii, qui scidit imaginem quasi Christi vel sancti cujusdam, et addidit rationem, *ne quid manufactum adorari possit* (§. sup.). Quapropter sic III. argumentantur Novatores. Procul dubio colere Imagines vel bonum est, vel malum, vel indifferens. Non primum, secus errasset per Saecula primitiva Ecclesia privans fideles spirituali bono. Alterum non arridet Catholicis, secus illorum Ecclesia proponeret malum. Ergo dicendum, quod est quid indifferens. Cur ergo tantus rumor hac super re? Cur poenis quoque Romana Ecclesia animadvertit in illos, qui hunc rejiciunt Religionis cultum?

℟. Concedimus utique, quod prioribus saeculis, propter potentissimas rationes superius allatas (§. 275. ℟.) non publicus, sed privatus, secretus et rarus fuit in Ecclesia usus Imaginum. Sed iterum monemus, quod relativus iste cultus non pertinet ad essentiam Christi Religionis, sed potius ad disciplinam: quapropter Ecclesia

secundum circumstantias vel illum probat, et praecipit quoque, vel suspendit, et reprobat etiam, quando scilicet causa est majoris mali contra Religionem, et maxime idolatriae. Et inde patet responsio ad factum Epiphanii, quod Gregorius Magnus reprobavit quidem, ut in se fuit, et probavit quoad zelum, quo Epiphanius sic operatus fuit. Et patet quoque responsio ad tertium, quoniam idem Imaginum cultus potest esse malus, vel bonus, et etiam indifferens, juxta varias circumstantias. Ecclesia, ad quam spectat judicium ferre infallibile in iis, quae ad Religionem spectant, ob adeptam pacem, illum judicavit bonum, et pium. Ergo munus nostrum est obtemperare. Novatores superbi, et rebelles renuunt obedire, et sacrilege seviunt contra sacras Imagines. Merito ergo Ecclesia anathema in illos pronuntiavit.

Objectiones ex Concilio Francofordiense.

277. Dallaeus accerrimus inimicus sacrarum Imaginum sciens quanta sit auctoritas Conciliorum Generalium, ut vim declinaret Concilii Nicaeni II. in quo solemniter damnata fuit impietas Iconomachorum, invocat in sui favorem canonem secundum Concilii Francofurtensis, quod an. 794, scilicet 17 annis post Nicenum II. adunatum fuit ab Adriano I. R. P., et Carolo Magno Imperatore contra Felicem, et Elipandum Episcopos Hispanos. Haec enim in dicto can. leguntur: *Allata est in medium quaestio de nova Graecorum Synodo, quam de adorandis Imaginibus Constantinopoli fecerunt, in qua scriptum habebatur, ut qui Ima-*

ginibus Sanctorum ita ut Deificae Trinitati servitium, aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur: qui supra Sanctissimi Patres nostri omnimodis adorationem, et servitutem renuentes contempserunt, atque consentientes condemnarunt. Itaque dicit Dallaeus: Negari non potest, quod Francofurtense Concilium fuerit legitime congregatum aeque ac Concilium Nicaenum II., licet postea non in omnibus sit probatum, et quod interfuerint legati R. P. et etiam quod solemne fuerit in Occidente, in quo convenerunt Episcopi ex Gallia, Britannia, Germania et Italia, similiter ac fuit Nicaenum II. in Oriente. Ergo paribus utrique tribuenda est auctoritas in suis decretis circa cultum Imaginum. Sed in allato Canone aperte reprobat adorationem Imaginum, et damnat consentientes, et propterea etiam Patres Concilii Nicaeni II. Cujus ergo auctoritati standum est; Conciliine Francofurtensis, an vero Nicaeni? Videtur, quod illud potius praeferendum est, quia posterius. Quod si parem facere velimus auctoritatem, dicendum, quod frustra Catholici in sui favorem adducunt decretum Concilii Nicaeni II.

278. Antequam respondeamus, notandum est, quod Patres Concilii Francofordiensis nullimode recesserunt a doctrina Ecclesiae Catholicae circa cultum relativum Sacrarum Imaginum, sed solum reprobarunt cultum absolutum, et summum, scilicet *latriae*, sive eamdem omnimodam adorationem, et servitutem, quam Deificae Trinitati tribuimus: etenim damnat, qui anathema dicebant in eos, qui Imaginibus Sanctorum ita ut Dei-

ficae Trinitati servitutem, et adorationem non impenderent. Id per se patet attente legentibus praedicta verba. Sed haec ipsa est doctrina Ecclesiae Catholicae. Ergo frustra Dallaeus invocat Concilium Francofordiense.

279. Haec ipsa veritas, quod scilicet Patres dicti Concilii bene senserint, juxta doctrinam Ecclesiae Catholicae, de adoratione sacrarum Imaginum, multis validissimis rationibus confirmatur. Sed ne praetergrediamur breves institutionis limites, unum et aliud afferimus argumentum. I. In uno ex capitibus ejusdem Concilii missis ad Papam Adrianum habemus: *Sciat Dominus Apostolicus, et Pater noster, et cuncta simul Romanorum Ecclesia, ut secundum quod continetur in Epistola Beatissimi Gregorii, quam ad Serenum Massiliensem Episcopum direxit, permittimus Imagines Sanctorum, quicumque eas formare voluerint, tam in Ecclesia, quam extra Ecclesiam propter amorem Dei, et Sanctorum ejus: adorare vero eas nequaquam cogimus; Frangere, vel destruere, etiam si quis voluerit, non permittimus: et quia sensum Sanctissimi Gregorii sequi in hac Epistola universalem Catholicam Ecclesiam Deo placitam indubitanter libere profitemur etc.* Si ergo Concilii Francofordiensis doctrina de cultu Imaginum eadem est, ac illa Gregorii, et universalis Ecclesiae; quis non videt, quod in objecto loco dumtaxat damnavit cultum *latriae* non vero relativum? II. Idipsum confirmatur a Binio in suis notis ad supradictum Concilium, adducendo multas auctoritates, praesertim Alani, et Surii, et etiam Concilii Senensis in decretis fidei, in quibus legitur:

Carolus Magnus Francorum Rex Cristianissimus Francofordiensi conventu, ejusdem erroris, Iconomachiae scilicet, suppressit insaniam, quam infelicissimus quidam Felix in Gallias, et Germaniam invexerat. (Ant. Bouccat lib. I. dissert. V.) Si ergo Patres Francofordiensis Conc. suppresserunt errorem Iconomachorum, quomodo rejicere, et damnare potuerunt doctrinam secundi Conc. Nicaeni, quod eumdem errorem suppresserat in Oriente? Alter ergo res se habuit.

280. Multi multa dicunt de hoc facto. Sed duas seligimus opiniones, quarum alterutra videtur probabilior. Prima est Vasquesii in lib. I. de adorat. cap. VII. et Surii in notis ad concilium Francofordiense p. 164. Hi censent, canonem secundum dicti Concilii non esse genuinum, sed suppositum, alioquin, dicit Surius, Claudius Taurinensis, qui Iconomachorum errorem introduxit in Ecclesiam Occidentalem, in medium pro sua causa protulisset, quod non fecit. Et facile canon iste vel supponi, vel falsari potuit. Etenim qui primus dixit, Concilium Nicaenum secundum damnatum fuisse a Conc. Francofurtensi, fuit Ammonius, qui post centum circiter annos a celebratione hujus Conc. ejusdem scripsit historiam, in qua habetur canon in quaestione, quo tempore pubblici Juris facta non erant acta Concilii Franc. quae in lucem prodierunt an. 1567 opera Surii, et multo minus noti erant illius Canones, qui a R. P. Syrmundo typis dati fuerunt 1629. Verum quidem, quod idem canon II. reperitur in praefatione ad libros Carolinos, sed quoniam hi libri publici juris facti sunt anno 1450 ab auctore anonimo, qui creditur Iconoma-

dius, idcirco dubitari potest de librorum ipsorum authenticitate et Petavius revera lib. XV. de Incarn. cap. XII. n. 7 dicit, quod canon in controversia parvi momenti est, quoniam censetur aut defloratus, aut ex integro immutatus, aut etiam superadditus (Bouc. ib.).

281. Altera opinio est eorum, qui censent, Patres Synodi Francofordiensis ita egisse ex duplici errore facti, et quia scilicet credebant in allato canone probari cultum latriae Imaginibus, et quia existimabant, Conc. Nicaenum II. non fuisse a R. P. Confirmatum. Certum est, quod catholicus in se est canon II. in Controversia, quia in ipso non rejicitur, et damnatur quicumque cultus Sacrarum Imaginum, sed solum *latriae*, qui tribuitur Deificae Trinitati. Aliunde scimus, praesertim ex lib. III. Carolino, hanc erroneam fidei professionem factam fuisse a Constantio in Secundo Concilio Nicaeno: *Quod infauste, et praecipitanter Constantius Constantiae Cypri Episcopus dixit: Suscipio, et amplector honorabiliter Sanctas, et venerandas Imagines secundum servitium adorationis, quod Consubstantiali, et vivificatrici Trinitati emitto.* Itaque praedicti Patres existimantes veram hujusmodi professionem, et non defloratam vitio interpunctionis, ut dicit idem R. P. Alexander: et item non existimantes legitimum praedictum Concilium Nicaenum, ex eo quod in lib. IV. Carolino cap. XIII. et XXVIII. scriptum legebant: *Inter caetera deliramenta, quae in eadem synodo (Nicaena II.) vel gesta, vel scripta dicuntur hoc quoque non omnibus eorum deliramentis minus est, quod eam Synodum universalem nuncu-*

pant, *cum neque universalis fidei inconvulsam habeat puritatem*, *neque per universarum Ecclesiarum gestam constet auctoritatem* : propterea hisce de causis non mirum videri debet, si illi Patres damnaverint praedictam professionem fidei Constantii, et etiam eos qui receperant. Caeterum semper verum est, quod Patres Concilii Francofordiensis, ut dictum est, non reprobarunt quemcumque cultum relativum *duliae* Imaginibus, sed solum cultum *latriae*. Frustra ergo Iconomachi ad illos appellant.

Solvuntur Objectiones ex libris Carolinis,
et ex Ecclesia Gallicana.

282. Tandem ad labefactandam auctoritatem Concilii Nicaeni II., in quo facta fuit audacia Iconomachorum, Novatores dicunt, hujusmodi Concilium non receptum fuisse in Ecclesia Orientali. Et id evincere conantur ex libris Carolinis, in quibus multa passim leguntur contra cultum Sacrarum Imaginum, dum Auctor illorum fuerit Carolus Magnus Rex Francorum maxime benemeritus de fide Orthodoxa, et conjunctissimus Rom. Pontifici: et item, ex Concilio Francofurtense, de quo satis dictum est, et ex Conventu Parisiensi.

283. Innumeris ergo, quae maxime ex libris Carolinis adducuntur, nos primo respondimus, quod non sine validis motivis dubitandum est de genuitate istorum librorum, et maxime de integritate. Sed in hypothesi, quod genuini sint, et integri; dicimus cum Natale Alexandro apud Joannem Perrone tract. de cultu Sanctorum §.

141. , quod Galli veram fidem tenuerunt circa venerationem Imaginum , et solum disceptasse de modo. Scilicet dicimus , quod rejiciebant cultum *latriae* , et etiam *duliae* absolutum , non vero relativum : et timebant etiam de periculo superstitionis in populo ignaro. Caeterum id pertinet ad Ecclesiae disciplinam , quae , ut supra diximus , varia esse potest pro varietate circumstantiarum.

284. Quaeri hic quoque solet , num , et quo cultu venerari debemus Crucem Christi , et num bonum , et pium sit cruce nos ipsos signare. Ad primum dicimus ; quod si colendae , et veneratione habendae sunt Imagines Sanctorum , cultu tamen relativo , quoniam in illis veneramur Prototypa , et in Prototypis Deum , multo magis venerari debemus Crucem , cujus praesentia revocat memoriam Christi veri Dei , et hominis , qui in Cruce nostra debita solvit apud Deum Patrem , et Cruci ipsi affixit Chirographum , quod erat contra nos.

285. Sed quo cultu , praesertim veram Crucem , in qua pro nobis pependit Christus venerari debemus ? Cultu ne *latriae* relativo an vero alio ? Respondemus , quod de hoc non convenit inter SS. Patres , et Theologos. Damascenus , S. Bonaventura , Angelicus Doctor et alii , putant venerandam esse cultu *latriae* , quoniam ad Christum Deum immediate refertur. Ast Bellarminus reprobat hanc opinionem , tum quia videtur offendere aures fidelium , tum quia praebere posset occasionem Haereticis calumniandi Catholicam Ecclesiam. Et haec sententia videtur securior , tum quia magis consona apparet doctrinae Concilii Nicaeni II. , tum quia si

verum est, quod honos transit ad exemplar, verum quoque est, quod discrimen aliquod esse debet inter adorationem Imaginis, et Prototypi. Quod si Ecclesia cum celebrat Christi Passionem videtur vero cultu latriae adorare Crucem, et canit: *O crux ave spes unica ... O crux adoranda etc.*, tunc per Crucem intelligit ipsum Christum. Caeterum dicimus, quod ad Ecclesiae prudentiam pertinet id determinare, et nostrum est sequi morem illius.

286. Denique quoad Crucem, qua aut nosmetipsos signamus, aut Sacerdotes, alios, et materiales quoque res benedicunt, utique id pium est et nobis utile. Sic enim Dei auxilium petimus, illi gratias agimus, illi nostra opera dirigimus, in cujus gloriam adgredimur, meminimus Passionis Christi, et ejusdem nos esse servos, et sectatores profitemur, et gloriamur: Sed maxime bonum est, quia sic Ecclesia aut praecipit, aut monet, aut consulit.

287. Quaeri hic quoque solet, num aliquod venerationis discrimen esse debeat inter veram Christi Crucem, in qua pro nostra salute pependit, et alias artefactas. II. Inter cultum Imaginum, et veras Reliquias Sanctorum. III. Inter cultum earumdem Imaginum, et Christi Crucem. IV. demum inter venerationem sacrarum Imaginum, et Sacrorum vasorum, uti sunt Calices.

288. Ad omnia respondemus affirmative. Et ratio, per se patet, quia etsi cultus semper supponitur relativus, tamen major esse debet, quo propius res refert prototypum. Sed magis, et propius repraesentat

Christum vera illius Crux, quam aliae: quinimo illa videtur aliquam in se continere Sanctitatem propter verum contactum, quem habuit cum corpore Salvatoris, et quia vere illius sanguine fuit conspersa. Ergo etc. Et sic quoque Imagines revocant memoriam Sanctorum, et verae Reliquiae fuerunt pars eorumdem. Item Imagines immediate repraesentant Sanctos, et mediate Deum, et Cruces immediate referuntur ad Christum verum Deum. Et tandem Vasa Sacra dicunt quamdam Sanctitatem propterea quod in ipsis fuit verum Corpus, et Sanguis Christi. Ergo potiori jure veneranda sunt.

Finis Libri VI.

INDEX

QUINTI LIBRI.

PARS PRIMA

DE CREATIONE IN GENERE. *Pag.* III

PARS II. 22

PARS III.

INDEX LIB. VI.

PARS PRIMA

PARS II.

PARS III.

PARS IV.

PARS V.

DE CHRISTI PROPRIETATIBUS DIVINIS HUMANIS, ET COMMUNIBUS.

PARS VI.